PLANTAE CHILENSES

Luigi Colla, Carlo Giuseppe Bertero

PLANTÆ RARIORES

IN REGIONIBUS CHILENSIBUS

A CLARISSIMO

M. D. BERTERO

NUPER DETECTÆ

ET

AB **A. COLLA**

IN LUCEM EDITÆ

Taurini ex Regia Typographia

PLANTÆ RARIORES

IN REGIONIBUS CHILENSIBUS

A CL° M D BERTERO

NUPER DETECTÆ

ET

AB A. COLLA

IN LUCEM EDITÆ

CLARISSIMI VIRI

Quamplurimae substantiae admodum rarae, inter quas nonnullae fortasse novissimae, ad zoologiam ac mineralogiam spectantes ab eximio peregrinatore Berterio nostro in regionibus chilensibus detectae ac vobis in donum datae, nuper e perillustribus sociis nostris Professoribus Carena et Moretto enumeratae fuerunt, nec non observationibus ditatae. Copiosiorem messem plantarum memoratus Botanicus eodem tempore mihi largitus est, quod iam vobis praenuntiavi; inter illarum specimina, vel plantas e seminibus enatas plures stirpes observavi vel dubias vel prorsus novas, et quamquam non paucae a cl. Auctore in *Mercurio Chileno* enumeratae (1),

(1) Plantae chilenses ordine alphabetico enumeratae a Berterio in opusculo periodico

I.

BOTTIONEA.

Missi fuerunt a Bertero nonnulli tuberculi mense augusti 1830 cum indicatione = *Genus Thysanotho proximum, sed meo sensu diversum*; = culti in hollis et frigidario mense octobris, floruerunt initio aprilis, et fructus maturos obtinui initio iunii 1831. Inde accepi sub eodem nomine a cl. Auctore februario proxime elapso perfectissima specimina *lecta in pascuis saxosis collium Valparaiso* uno in hisce, quam in plantis laete florentibus sequentes characteres observavi.

Radix tuberculato-fasciculata, tuberculi 10-12 ovati, subaequales, carnosi, glabriusculi, 2-3 lin. longi, 1-2 lati radiculis ramosis apice instructi (tab. I f. 1). E collo tuberculorum exsurgit parvus *caudex* subrotundus cornosus inferne radicatus, superne desinens in *caulem* (pedunculum) herbaceum, erectum, subflexuosum, teretem, foliolosum, ad basim foliorum articulatum, laevem, glabrum, simplicem, dodrantalem (f. 2). *Folia* radicalia 3-4, inferiora caule dimidio breviora (f. 3) superiora caulem subaequantia (f. 4) omnia basi vaginantia, erecto, demum patentia, linearia, integerrima, acuta, glaberrima, nervosa, coriaceo-canaliculata. *Pedicelli* 2-4, raro 3-4 versus apicem caulis alterni (pedunculus sub 2-florus), lineares, glaberrimi, bracteam subaequantes, *bractea* solitaria ad basim pedicellorum 3-4 lin. longa, forma folii (f. 5). *Perigonium* duplex (*corolla* 6 partita?) cum staminibus hypogynum, *exterius* calycis vicem gerens, profunde 3-partitum, laciniis ovato-lanceolatis 1-lin. latis 3-longis, basi gibbis, apice acutis, viridibus, margine albo-scariosis in alabastro erectis, post anthesim dependentibus, persistentibus (f. 6 9), *interius* corollam aemulans profunde 3-partitum, laciniis calycem divisionibus alternantibus usque paullo latioribus, disco viridibus, margine fimbriato ciliatis (argenteo-albidissimis) anthesis tempore

reclinatis demum cum calyce erectis clausis (f. 7 10), *stamina* 6 erecta, regularia, aequalia, filamentis filiformibus albis laciniis corollinis paullo brevioribus (f. 8), *antheris* aequalibus erectis ovato-sagittatis flavis (f. 11 *a*); *ovarium* superum ovatum subtrigonum (f. 12 a et f. 13), *stylus* 1 filiformis erectus incrassatus staminibus brevior persistens, *stigma* capitato-4 lobum (f. 12 *b*). *Capsula* intra perigonii lacinias 8 horas circiter post anthesim clausas, eisque duplo longior, triangularis, basi sub-gibba 4-5 lin. longa, diam. 2-3 lin., glabra, reticulato-venosa, trilocularis, trivalvis, loculis polyspermis ab apice ad medium dehiscentibus (f. 14). *Semina* in unoquoque loculo regulariter fixa subreniformia, subangulata, nigro-pellucida punctis lente vix conspicuis adspersa (f. 15 16) *Perispermum* carnosum.

Obs. Genus hoc valde affine videtur Thysanotho (R. Br. N. Holl. 1, p. 283), sed differt praesertim capsulae loculis *polyspermis* non *dispermis* tantum, seminibus aequaliter in unoquoque loculo regulariter fixis, nec uno *erecto* altero *pendulo*, ac punctis tantum *minimis* conspersis, non strophiolatis. Nonnullae pariter aliae differentiae ex allata descriptione exsurgunt in ceteris organis floralibus, praesertim *filamentis*, *antheris*, *stylo*, et *stigmate*; filamenta in *Thysanotho* sunt *declinata*, antherae *inaequales*, *purpureae*, stylus *inclinatus*, stigma *simplex*; in nostro genere filamenta sunt prorsus *erecta*, antherae *aequales* flavae, stylus *erectus*, stigma *capitato-quadrilobum*. Ceterum *Thysanothi* stirpes nunc cognitae omnes N. Hollandiam incolunt, ex America nullae. Hinc plantam a Bertero detectam merito novum genus constituere puto, quod in memoriam D. Bottione eiusque filiae honorem, celeberrimorum plantarum pictorum, quorum tabulae quamplurimae publicam R. Athenaei Bibliothecam mirifice exornant, dico.

Hexandria monogynia = Asphodeleae

BOTTIONEA.

» *Perigonium* duplex, externus 3-sepalum, sepalis ovato lanceo-
» latis basi gibbis persistentibus, interius 3-petalum petalis margine
» fimbriato-ciliatis *Stamina* 6 cum perigonio hypogyna erecta,
» *antherae* aequales, *stigma* capitato-4 lobum. *Capsula* triangularis
» trilocularis trivalvis, loculis polyspermis. Semina in quovis loculo
» regulariter fixa.

1 *B thysanotheides* Herba dodrantalis radicibus tuberculato-fasciculatis, foliis linearibus canaliculatis, pedunculis erectis sub 2-floris. Nob. Crescit in pascuis saxosis collium *Valparaiso*. Bertero

II.

GERANIUM.

Linn gen. n. 1118 (*monad. decand.* geraniaceae *Juss gen. p.* 268)

Specimina missa a cl. Bertero e Chili sub nomine *Geranii tuberosi* cum dubitationis signo a vero *G tuberoso* L sp 953 mihi valde differre videntur statura undique *minori*, foliorum lobis *cuneatis* nec *linearibus*, calycibus non *coloratis*, speciem igitur quam novam credo strenuo inventori dico

1 *a G. Berterianum* villosissimum, caule suberecto ramoso, fo-
» liis suborbiculatis 5 lobis, lobis cuneatis 5-fidis, laciniis lineari-
» bus obtusiusculis, petalis integris calyce brevissime aristato duplo
» minoribus, radice napiformi » (flores mediocres, petala purpurea, desunt carpella in speciminibus) Nob. *G tuberoso proximum* Bertero. in Merc Chil n. 14, p 643 = Hab. *Valparaiso* in pascuis declivibus collium.

III.

Alia *Geranii* species enata in H. Bipul. e seminibus missis a cl. Bertolo sub nomine *G. rotundifolii* cum dubitationis signo mihi nova videtur, patria ac nonnullis peculiaribus notis inspectis, quam ita definio

a » *G. intermedium*, caule erecto ramoso stricto villosiusculo, » foliis longissime petiolatis basi subtruncatis glabriusculis 5 lobis, » lobis 3 fidis laciniis rotundatis mucronulatis, petalis integris ca- » lycem villosum brevi aristatum aequantibus, carpellis glabris, » seminibus ...... » (flores parvi, petala purpurea) Nob.

Oss Ludit inter *G. molle*, et *rotundifolium*, e quibus differt foliis *longissime* petiolatis, omnibus plus minusve basi *truncatis*, earumque laciniis constanter *rotundatis mucronulatis*, a priori autem praesertim calyce *aristato* nec *mutico*, ab altero carpellis *glabris* non *hirsutis*. Hab. in pascuis et sepibus *Roncagna*.

IV.

ERODIUM

Ait. h. Kew. 2 p. 414 (*monad. pent. geraniaceae Juss. gen.* 268 *sub* Geranio).

Plantae enatae e seminibus missis sub nomine *E. cicutarii* cum dubitationis signo potius ad *E. Botrydis* accedunt; folia enim radicalia omnia simpliciter *lyrato-sinuata* nec *pinnatifida*, habitus quoque *Botrydi* simillimus; valde autem differt a var. β *pimpinellifolia* (Cav. diss. 4, t. 126, f. 1) quam Bertolus enumeravit in Merc. Chl. n. 13, p. 615, et frequentem dixit in pratis circa rivos et in collibus.

V.

TROPAEOLUM

Linn. gen. n. 466 (*octandr. monog.* Tropaeoleae
Iuss. mem. mus 3 *p.* 447)

Tropaeoli genus perelegans, cuius stirpes omnes Americam colunt meridionalem, praesertim Peruviae et Chili regiones, duas praebet novas species a cl. Bertero detectas et nobis communicatas sine descriptione

1 « *Tr. azureum* (Bertero ex Miers ined.) foliis quinis, fo» liolis sessilibus subspathulatis integris uno saepe mucronulato ma» iore, petalis retusis calycem brevissime calcaratum aequantibus » Nob. (Tab. II)

Obs. Planta pumila subscandens, flores parvi, calyx ex luteo viridis, petala azurea. Hab. in *Chili* et lectum fuit prope *Quillota* in fruticetis secus flumen de *Roncagua* loco dicto *de la Candera*

VI.

2 « *Tr. chilense* (Bertero ined.) foliis 5-7 digitatis, foliolis » sessilibus subinaequalibus ovatis oblongisve integerrimis obtusis, » petalis unguiculatis integris calyce brevissime calcarato longio» ribus ». Nob.

Obs. Medium tenere videtur inter *Tr. azureum* Miers et *polyphyllum* Cav. cui magis tamen affine petalis calyce *longioribus*. Planta scandens valde diffusa: flores ut in priori, sed calyx fere prorsus viridis, petala patentia lutea. Hab. in sylvaticis collium *Valparaiso*

VII.

OXALIS.

Linn. gen. n. 582 (Decand. pentag. Oxalideæ De. Pr. 1. p. 689).

Oxalidis species plures crescunt in Chili, quarum nonnullas enumeravit Berterius in Merc. Chil. n. XVI, p. 739, 740. Sequentes insunt sine descriptione prorsus novæ existimo.

» 1. *O. perdicaria* (Berter. l. c. p. 739), caule subcæspitoso
» inferne nudo ad apicem folioso, foliis ternatis fasciculatis, pe-
» tiolis filiformibus, foliolis sessilibus rotundatis integerrimis gla-
» brisculis, pedunculis 1-floris petiolis longioribus ultra medium
» 2-bracteatis, corolla campanulata, stylis stamina longiora subæ-
» quantibus ». Nob.

Obs. Herba ex plantis siccis gracillima 1-2-pollicaris, radice bulbosa, caule subterraneo incrassato forsan ex petiolis basi adnatis composito et tunc acaulis, foliolis minimis diam. vix 1 lin., sepalis lineari-lanceolatis brevissimis, petalis unguiculatis lato ovatis integris flavis calycem multoties superantibus. Fructus desunt in speciminibus. Cl. Auctor ad *Sassiam perdicariam* Molin. plantam hanc pertinere putat, et *Sassiæ* genus comprehendens etiam *S. tinctoriam* (*Oxalis arenaria* Berter.) esse delendum. Crescit in pascuis arenosis *Valparaiso* ubi floret aprili maio.

VIII.

» 2. *O. arenaria* (Berter. l. c.), acaulis, foliis quaternatis,
» foliolis subemarginatis glabris, scapo petiolos multoties superante
» umbellifero 3-5-floro, sepalis 2 glandulosis, stylis stamina longiora
» subæquantibus ». Nob. (Tab. III.) *Sassia tinctoria* Molin. sec. Berter.

Obs. Accedit ad *O. tetraphyllam* Cav. a qua differt statura *minori*, scapis *longioribus*, sepalis duplo *brevioribus* glandulisque binis flavis apice instructis, stylis stamina *subaequantibus*, nec *superantibus*, caeterum habitus fere idem, flores mediocres, petala violacea. Crescit in pratis arenosis secus rivos et in collibus *Valparaiso*.

IX.

» 3. *O. gyrorhiza* (Bertero l. c.), caule ascendente subramoso
» basi suffruticoso villoso, foliis ternatis, foliolis subsessilibus obcordato 2-lobis petiolisque ciliatis, pedunculis 2-floris petiolis longioribus, sepalis coloratis eglandulosis, stylis stamina superantibus ». Nob.

Obs. Planta pedalis et ultra, rami et folia subsecunda, pedunculi ultra medium 2-bracteati, flores mediocres, sepala lanceolata petalis parum breviora villoso-punctata luteola, petala unguiculata ovata integra flava. Radices, ex quarum directione nomen triviale desumptum, desunt in speciminibus non directe missis ab Auctore, sed eius mandato a cl. Gutaxaxe communicatis.

X.

» 4. *O. Bridgesii* (Bertero. ined.), acaulis glabra, foliis ternatis longissime petiolatis, foliolis lineari-lanceolatis integerrimis » obtusiusculis, scapo petiolis longiore umbellifero, floribus versicoloribus, radice crassissima ». Nob. (Tab. IV.)

Obs. Herba elegantissima ob petiolorum pedunculorumque longitudinem ac formam, tum etiam praesertim numero et colore florum. Radix crassissima, tortuosa, simplicissima, cortice rugoso-tuberculoso fusco, petioli et scapi planiusculi longissimi, umbellae interdum compositae 5 10-florae bracteis 2 (uti umbellulae quoque adsunt) suffultae, sepala late ovata acuta eglandulosa luteola mar-

gine atro-purpureo; petala integra flava apice striata. Media inter *O. virgatam* Molin. et *megalorhizam* Jacq. cui magis accedit habitu, et radicis forma differt autem a prima foliolis *integerrimis*, nec *emarginatis*, floribus *umbelliferis* non *verticillatis*, ab altera foliolis *lineari-lanceolatis obtusis unicoloribus* nec *obcordatis subtus violaceis*, scapo foliis *longiore* non *breviore*, color florum etiam diversus. Crescit in fruticetis herbidis petrosis maritimis *Valparaiso*.

XI.

« 5. *O. micrantha* (Bertero Merc. Chil. l. c.), caule ascen-
« dente inferne ramoso, foliis ternatis, foliolis obcordatis margine
« et subtus juxta nervos pilosiusculis, pedunculis apice bifidis di-
« chotomis calycibusque villosis folia subaequantibus petalis, minimis
« obovato-cuneatis denticulatis sepala hirsuta basi utrinque glandu-
« losa vix superantibus, stylis staminis longiora subaequantibus. »
Nob.

Obs. Planta pusilla 3-4 pollicaris diffusa enata tam in H. Ripul., quam in H. R. Taurin. e seminibus missis a Bertero 1831, separatim examini subiecta a cl. collega meo Professore Morisio et a me, sequentes characteres observavimus. Ipse autem maxima qua pollet liberalitate et modestia priorem in illa edenda me voluit. *Radix* fibrosa nec bulbosa, caulis herbaceus rubens superne valde foliosus, petioli filiformes longissimi, foliola sessilia obcordata viridia subtus tandem purpurea, pedunculi lineares planiusculi ad dichotomiam villosiusculi, saepius simpliciter dichotomi, quandoque iterum superius per aliam dichotomiam divisi, *pedicelli* patentissimi unguiculares et ultra, *sepala* lineari-lanceolata vix 1-lin. longa pilis patulis apice glandulosis hispida, glandula minima rubescente apice instructa, *petala* sepalis parum longiora apice inaequaliter denticulata flava, *genitalia* glabra petalis duplo breviora; *styli* longitudine staminum longiorum, *stigma* capitatum; *capsula* prismatica; *semina* minutissima glabra.

Hab. in sylvaticis *Chili* praesertim in nemoribus dictis *de la punta de Cortes*

Species ad § 2 *corticulata* (Dc. Pr. I. 691) referenda, a ceteris eiusdem sectionis traditis characteribus maxime vero petalorum sepalorumque exiguitate facile distinguenda

XII.

ZANTHOXYLUM.

Linn. gen. n. 150 (*Pent. trig.* Rutaceae *Dc. Pr.* 1 *p.* 709)

» *Z. Mayu* (Bertero. ined.), inerme, foliis impari-pinnatis 4-6 » jugis, foliolis ovato-oblongis sessilibus crenulatis subemarginatis » pellucido impunctatis basi inaequalibus, rachide alata, racemis » axillaribus paucifloris » Nob. (Tab. V.)

Obs. In scheda speciminis missi a Bertero 1831 haec lego sine alia indicatione = *arbor procera vulgo* Mayu *in sylvis montanis insulae S. Fernandez* = Species haec mihi videtur valde distincta praesertim forma petioli communis seu rachidis, quae est laeviter alata, superne profunde conaliculata, ibique punctis nigrescentibus consperso; puncta haec confluentiora adparent ad foliolorum insertionem et quasi in foveolam conglomerata.

XIII.

RUTA.

Linn. gen. n. 533 (*Decand. mon.* Rutaceae *Iuss. gen. p.* 297)

R. angustifolia? = *Olim fortasse culta; in pascuis petrosis collium Ins. S. Fernandez.* = Ita in scheda speciminis missi a Bertero. 1831

Obs. Attento examini subiecto hoc specimine comparato et cum

speciminibus ac descriptionibus *R. graveolentis* et *angustifoliae*, mihi videtur ob utroque differre et medium inter ipsas tenere, differt a priori foliolis fere omnibus *aequalibus* nec terminali *majore obovato*, petalis non *subdentatis*, sed manifeste *fimbriatis*, ab altera foliolis valde *majoribus*, nec *oblongo-linearibus* sed *ovato-oblongis*, petalis *evidentius* ciliatis nec *fimbriatis*, bracteis amplioribus *cordatis* non ovatis. An var. conspicua? an species distincta? Hoc casu *R. fernandezia* appellanda et sic definienda.

» *R. fernandezia* foliis supradecompositis, foliolis ovato-oblongis » subaequalibus, bracteis cordatis acutis, petalis fimbriatis » Nob. (flores lutei).

XIV.

COLLETIA.

Comm. in Juss. gen. p. 380 (Pent. mon. Rhamneae R. Brown gen. rem. p. 22).

Inter plures cariosum hujusce generis stirpes a Bertero communicatas vel in speciminibus, vel in seminibus, tres sequentes a congeneribus ab auctoribus descriptis diversas existimo

» 1. *C. spartioides* (Bertr. ined.) ramosissima, foliis parcis » alternis oppositive oblongis undulato-crenulatis 1-nerviis glabris, » ramis virgatis spinosissimis, spinis sparsis erectis subplanis lon- » gissimis, pedunculis subsolitariis axillaribus flore brevioribus ». Nob. (Tab. VI.).

Reperta in sylvaticis petrosis montium editiorum ins. *S. Fernandez* aprili 1830 arbor ex ml. Auctore 6-10-pedalis. Planta ex sicco fere aphylla.

XV.

» 2. *C. Trebu* (BERTER. in Merc. Chil. n XIII. p 666 sine » descriptione) foliis oppositis ellipticis basi attenuatis apice emar- » ginatis serrulatis 3-nerviis glabris, spinis axillaribus suberectis » folio brevioribus, ramulis inermibus floriferis, floribus axillaribus » glomeratis sessilibus ». Nob.

Crescit in montosis sec. *la Leona* (Chili), ubi vulgo *Trebu* vocatur, et vulneraria existimatur Parum recedere videtur a *C. ob-cordata* VENT. foliis *serrulatis emarginatis glabris* nec integerrimis pubescentibus, ramulis *inermibus*, floribus *sessilibus*

XVI.

» 3. *C. Tralhuen* (BERTER. l. c. sine descriptione), foliis fa- » sciculatis ovatis subsessilibus integerrimis 3-5-nerviis subtus seri- » ceis, spinis axillaribus divergentibus folio subaequantibus, pe- » dunculis axillaribus glomeratis ». Nob. (Tab VII)

Hab cum priore, tincturam rubram ex ligno praebet et vulgo *Tralhuen* nuncupatur, flores duplo majores

---

TRIFOLIUM.

Linn gen. n. 1211 (*Diadelph. dec.* leguminosae *Juss gen p* 355).

XVII.

« 1 *Tr triaristatum* (Bertol. ined.), caule erecto subsimplici » foliisque glaberrimis, foliolis lineari-lanceolatis argute serrulatis, » stipulis subscariosis ovato oblongis petiolo 2-3-brevioribus eique » arcte connatis inaequaliter dentatis, capitulis terminalibus soli- » tariis pedunculatis subglobosis, calyce subinflato subscarioso gla- » bro costato, laciniis triaristatis arista media corollae gamopetalae » tubo longiore, leguminibus ...... seminibus ...... (flores parvi » atrorubescentes) » Nob.

Descriptio

Herba glaberrima *Radix* crassiuscula, ramosa, fibrosa, profunda (an repens, an annua?) *Caulis* erectus, geniculatus, teres, striatus, vix spithameus, parcissime ramosus, *rami*, quando extant, breves erectiusculi *Folia* alterna, remota, adpressa, trifoliolata, longissime petiolata seu petiolis internodio longioribus, petioli filiformes sub-ancipites basi incrassati ibique arctissime stipula connati adeo ut unum corpus cum ea efficere videantur, *foliola* omnia sessilia, inter se aequalia, lineari-lanceolata, ac 1-lin lata 4-5 longa, paralello-nervosa nervis prominulis in dentes acutissimos margine productis *Stipulae*, vel melius *stipula una* unoquoque caulis nodo connata, eumque amplectens, hinc paulo a caule recedens longitudine eius

internodia subaequans, subscariosa, ovato-oblonga, nervosa, nervis plerisque in dentes inaequales ac molles productis. *Pedunculus* terminalis, filiformis, solitarius, 5-6-lin. longus gerens capitulum subglobosum, nudum, densum, diam. 2-3-lin., 15 20-flores sessiles referens. *Calyx* tubulosus, tubo subinflato, subscarioso, 15-costato, 2 lin longo, limbo 5-fido, laciniis 3 aristatis, seu costae calycis tres in laciniam viridem nec scariosam productae terminantes in tres aristas, quarum duae laterales rectae brevissimae, media longior subulata ac corollae tubum paullo superans. *Flores* gamopetali petalis subaequalibus ex sicco atro-rubentibus. *Legumina* desunt in speciminibus. Habitat in *Chili* ubi invenitur a cl. BERTERO in monte *la Leona* anno 1829 (Tab. VIII.).

SUTHERLANDIA.

R. Br. in h. Kew ed. 2. vol. 4. p. 327. Coluteae spec. Linn.
(*Diadelph. dec.* Leguminosae Loteae *Dc. Pr. II. p. 273.*)

XVIII.

» 1. *S. Darwinbiana* (BERTER. med.) herbacea? erecta glabriuscula,
» foliis inferioribus 3-5-iugis superioribus multiiugis, foliolis lanceo-
» latis obtusis subemarginatis, racemis axillaribus multifloris folio
» longioribus, dentibus calycinis acutissimis tubum subaequantibus,
» leguminibus ovatis glabris apice hispidibus polyspermis (flores ex
» sicco flavi) a. Non

Obs. A ceteris *Sutherlandiae* stirpibus huc usque cognitis differt primo intuitu caule foliisque *glabris* nec *albido-tomentosis*, differt etiam calycis structura, in aliis semi-5-fidus laciniis basi dilatatis, in nostra laciniae seu melius dentes tubum subaequant et sunt prorsus lineares ac fere cuspidati. *Caulis* ex sicco videtur herbaceus, qua nota, et leguminibus glabris magis accedit ad *S. vesicariam* Spr. (*Colutea* Thb. pr. 135. *Lessertia* De. Pr. II. 272), sed fo-

foliola potius *lanceolata* quam *ovata*, obtusa emarginata nec mucronata; ceterum ex descriptionibus imperfectis *S. unicaulis* omnes differentiae exurgere haud possunt; flores in nostra specie sunt duplo minores quam in *S. frutescente*, legumina parum tumida rotundiora apice hiantia. Habitat in *Chili* prope *Rancagua* ubi lecta fuit a cl. Bertero anno 1829.

ASTRAGALUS.

Linn. gen. n. 1203 (*Diadelph. dec. Leguminosae Astragaleae DC. Pr. II. p. 281*).

XIX.

Inter *Astragali* stirpes in *Chili* lectas a cl. Bertero, scilicet *A. unifultus* Herit., *A. Garbancillo* Cav., enumeratam video in Merc. Chil. n. 12. p. 564 speciem quae ipsi nova visa fuit, quamque nec nominat, nec definit, asserens tantum legumina ferre triangularia, et communem esse in locis aridis *de la Leona* secus rivum *Cachapual*: specimina perfectissima ab ipso humaniter communicata ibique lecta 1830 dubitare non sinunt, plantam illam optimam ac a congeneribus distinctissimam stirpem constituere; illam igitur inventori dico, ac descriptione, diagnosi, et icone illustrare satagam.

Descriptio.

Caulis basi suffruticosus, diffusus, tortuosus, teres, rimosus, glabriusculus, stipulis subpersistentibus hinc inde vaginatus, demum flexuosus, setis adpressiusculis incano-villosus, ad internodia magis pilosus pilis nigricantibus, ramosissimus. *Stipulae* ovato-lanceolatae oppositifoliae subscariosae basi dilatatae semiamplexicaules seu cauli adnatae hinc liberae apice bifidae laciniis subulatis. *Folia* alterna quandoque bina ex eodem internodio et tunc alterum valde brevius,

suberecta, impari-pinnata, 10-15-juga. *Petiolus* filiformis inermis sericeus. *Foliola* sub-sessilia, inferiora alterna, superiora opposita, omnia lineari-lanceolata seu ½ lin. lata 2-longa, utrinque sericea, obtusiuscula, apice mucronulo brevissimo molli instructa. *Pedunculi* axillares vel terminales compressiusculi, suberecti, incano-villosi, folio duplo longiores, versus apicem racemoso-spicati, multi seu 15-20-flori. *Flores* sessiles bractea 1 minima lineari-lanceolata calyce breviori suffulti, primum erecti, anthesis tempore patuli, demum deflexi, superiores saepius abortivi. *Calyx* tubulosus 5-dentatus 1-lin. longus, pilis nigrescentibus undique conspersus, dentibus subulatis fere longitudine tubi. *Corolla* papilionacea calyce duplo longior; *vexillum* apice 2-fidum luteolum lineis violaceis notatum, *carina* et *alae* luteolae unicolores. *Stamina* generis. *Legumina* trigona, sub-inflata, oblonga sc. 1-lin. lata 3-longa, nutantia, dorso inferiori recto acuto superioribus arcuatis tumidiusculis, glabriuscula, apice stylo persistenti 1-lin. longo uncinata, 2-locularia loculis oligosperma. *Semina* nigra inaequaliter reniformia.

Diagnosis.

« *A. Berteri* suffruticosus inermis diffusus incano-villosus, fo-
» liolis 10-15-jugis inferioribus alternis superioribus oppositis linea-
» ri-lanceolatis mucronulatis utrinque sericeis, stipula ovato-lanceo-
» lata 2-fida basi cauli adnata, pedunculis racemoso-spicatis folio
» duplo longioribus, calycibus nigro-pilosis dentibus subulatis, le-
» guminibus trigonis nutantibus subarcuatis uncinatis glabriusculis,
» loculis oligospermis ». Nob. (Tab. IX).

ADESMIA.

DC ann sc nat 4, p 94 et leg mem. VII
(Dec monog Leguminosae Hedysareae *DC Pr. II p* 318)

Adesmiae genus a cl. DC. statutum pro quibusdam *Aeschynomenes* ac *Hedysari* stirpibus, satis distinctum considerandum duco, et inter genera nova admitti debeat, quamquam a cl. SPRENGELIO nec enumeratum video. Praeterquamquod enim habitu et calycis structura a congeneribus non parum recedit, stamina omnino *libera* nec *diadelpha* constanter reperiuntur. Itaque BERTERIUS noster, novo genere admisso, sequentes novissimas stirpes ei addendas invenit ac misit

XX.

« 1 *A arborea* (BERTER. in Merc. Chil 12 p 557 sine de« scriptione), caule frutescente ramisque glandulose scabris, foliis « fasciculatis 7 10-jugis, foliolis subsessilibus ovato-oblongis ciliatis, « pedunculis axillaribus 1-floris folio brevioribus, leguminibus longe « barbatis (flores flavi) » Nos Habitat in frutectis collium apric *Quillotæ*, vulg. in b ripal. è seminibus missis ab Auctore, stamina in hac stirpe 5-10, setae leguminum barbato-plumosae versicolores, ergo in sect I (*Chaetotriche* DC l. c) collocanda

XXI.

« 2 *A vesicaria* (BERTER. l c sine descriptione), caule her« baceo adscendente villosiusculo, foliis longe petiolatis 5-7 jugis, « foliolis lineari-lanceolatis integerrimis obtusiusculis utrinque vil« losis, floribus axillaribus solitariis terminalibus racemosis omnibus « sessilibus, calycibus subinflatis glandulosis, leguminibus ..... » Nos.

Habitat secus flumen *Cachapual.* Plantula pumila albo-villosa, flores valde minores quam in priori, desunt legumina in specimine

XXII.

» 3 *A. viscida* (BERTER. l. c. sine descriptione), caule herbaceo decumbente foliisque subsessilibus villoso-viscidis, foliolis » 7-9-jugis lanceolatis mucronulatis, racemis longissimis sub simplicibus laxis, floribus longe pedicellatis, leguminibus setoso-pilosis » Nob. Habitat in *Rancagua* herba vix palmaris terminans in pedunculum racemosum fere pedalem gerentem pedicellos alternos filiformes 1-floros pollicis longitudine, leguminum articuli 5-6 setis crispis conspersa.

XXIII.

» 4. *A. balsamica* (BERTER. ined.) caule fruticuloso erecto ramisque scabris, foliis brevi petiolatis 10-15-jugis, foliolis ovato-» oblongis apice subdenticulatis calycibusque glanduloso-punctatis, » floribus in racemos terminales foliis parum longiores approximatis, » leguminibus » Nob. Sub *Mimosa* MOLIN. sec. BERTER. Habitat in frutic. apric. collium *Valparaiso.* Optima stirps a ceteris distinctissima characteribus allatis ac valde speciosa ob numerum racemorum singulos ramulos terminantium, flores lutei duplo et ultra maiores quam in praecedentibus; foliola minima, legumina desunt in speciminibus (Tab. X.).

LATHYRUS.

Linn. gen. n. 1186. (*diadelph. dec.* Leguminosae Viciene *DC. Pr. II p.* 369).

Duas *Lathyri* stirpes memorat BERTERO in Merc. Chil. n. 15.

p. 685 quas dicit affines *L. subulato* et *L. nervoso* LAM. At in speciminibus ac seminibus ab inventore missis tres distinctissimae cernuntur species sub sequentibus nominibus in scheda impositis, scilicet *L. sericeus* LAM. cum dubitationis signo, L. ... sine nomine triviali, et *L. subulato proximus* pariter cum dubitationis signo.

XXIV.

1. *L. sericeus?* Deest specimen, et plantae nostrae enatae sunt in h. Ripul. ex seminibus, at ipsae minime quadrant cum *L. sericeo* LAM. Dict. 2. p. 708, nec mihi fas est illas perfecte determinare ob leguminum defectum quae ad maturitatem haud pervenerunt. Plantae sunt pumilae undique argenteo sericeae, *caulis* gracilis subsimplex sulcatus, *folia* 1-iuga sub cirrosa cirris simplicibus, *foliola* sessilia ovato-lanceolata integerrima mucronulata, *stipulae* semi-sagittatae acutae petiolum brevissimum subaequantes, *flores* subsessiles solitarii parvi. Habitat in *Chili* sylvaticis montanis *Quillota*.

OBS. Differt a *L. sericeo* LAM. villis *argenteis* nec *rufescentibus*, foliolis *ovato-lanceolatis* non *linearibus*, stipulis folio valde *brevioribus* nec longitudine *aequalibus*, demum ac praesertim floribus *subsessilibus solitariis*, nec *pedunculis* 5-6-floris. Stirps LAMARKII detecta fuit a COMMERSON in *Monte Video*, et ex eiusdem herbario descripta, nec constat posteriores Botanicos alia specimina examini subiecisse.

XXV.

2. L. ... Specimen sine nomine triviali optimum, sed legumina desiderantur. Sensu meo valde differt a ceteris huiusce generis stirpibus, habito etiam solummodo inspectu, faciem potius *Pisi* quam *Lathyri* refert, planta est undique glabra, *caulis* erectus subsimplex subangulatus, *folia* 1-iuga subsessilia longe cirrosa cirris ra-

mollissimis, *foliola* sessilia ovato abrupte subdentata mucronulata parallele nervosa subtus glauco-pulverulenta, *stipulae* foliosae ovato-semisagittatae magnae medietatem foliolorum tegentes, pedunculi folio duplo triplove longiores racemosi, multiflori, flores ampli ex sicco flavi Habitat in *Chili* sylvaticis collium *Cachapual*

XXVI.

3 *L. subulato proximus* BERTER. msd Stirps haec est forsan una ex illis quas memorat auctor in Merc Chil, i e quamque distinctam dubitavit, uti liquet ex schedis revera attento examini subiecta et comparata cum *L subulato* et *nervoso* LAM ab utroque illam differre puto, ac optimam novam speciem constituere, quam cl. Detectori dico, ac ita definio

« *L Berterianus* villosiusculus, caule debili subtetragono, foliis » 2-iugis, cirris subramosis, foliolis lineari-lanceolatis acutis integerrimis, stipulis semi-sagittatis latis lanceolatis nervosis acutis » petiolo paullo brevioribus, pedunculis 2-floris folio longioribus, » leguminibus compressis reticulatis glabris (flores mediocres coerulei) » NOB Habitat in Chili loco dicto *la Punta de Cortes*

OBS. Accedit quidem ad *L nervosum* et *subulatum* LAM. cum quo habitu maiorem habet affinitatem, sed differt praesertim cirris foliolis *longioribus* nec *simplicibus*, foliolis *lineari-lanceolatis* acutis sed non *subulatis*, stipulis valde *latioribus*, pedunculis demum i non 2-floris (Tab. XL).

ACACIA.

W sp II 1049 Mimosae species LINN (*Monadelph. polyandr.* Leguminosae Mimoseae *De Pr II p* 448.)

Inter *Mimosas* a CL STEUDELIO et DE CANDOLLE enumeratas omissa non fuit *M Cavenia* a sollertissimo MOLINA in regionibus

chilensibus primum detecta, sed imperfecte ab ipso descripta (Molin. Chil. ed. gall. p. 338). At Bertërius memoratam plantam iterum iterumque et florentem et fructificantem ad trutinam revocans merito iudicavit, inter *Acacias* esse recensendam (Mere Chil. n. 12 p. 559), quin tamen de ipsa botanicam illustrationem tradiderit siquidem el. Auctor commemorat caulis mensuram a tribus ad decem pedes versantem iuxta soli altitudinem, nomen vernaculum *Espino*, suavem florum odorem *Acaciæ farnesianæ* congenerem, seminum nauseantem saporem, ligni soliditatem atque duritiem unde carbones coquuntur, et ad usus domesticos præcipue e tornatoribus adhibetur, gummi demum ex cortice exsudans arabico succedaneum; hæc omnia Bertërius. nos autem descriptionis defectui supplendum ex speciminibus, et viventibus plantis cultis e seminibus ab eodem communicatis, sequentibus notis opportunum duximus.

Radix fibroso-ramosa albam uti in ceteris huiusce generis stirpibus redolens. *Caulis* arboreus, solidissimus, flexuosus, teres, in frigidario 2-3 in loco natali 3-10-pedalis, ramosus, cortice griseo, glabro, scabriusculo, ad gemmas aculeis geminis subulatis rectis vel quandoque subarcuatis patentibus validis 3-4-lin. longis primo rubescentibus demum eburneis armatus. *Folia* alternatim fasciculata, seu 2-3 ex eodem nodo prodeuntia, patentia, magnitudine inæquali, bipinnata, pinnis 3-5-iugis. *Foliola* 10-15-iuga, 1-lin. longa, ½ lata, sessilia, obtusa, glaberrima, valde approximata. *Petiolus* communis canaliculatus glandula rufescenti minima infra infimapar instructus, partiales eglandulosi. *Flores* in capitula axillaria, solitaria, vel 2-3-collecti. *Capitula* globosa, pisi communis magnitudine et ultra, sessilia vel brevissime et inæqualiter pedunculata, ceterum uti in *A. farnesiana*. *Legumina* sub-cylindrica monente Bertero desunt in speciminibus, nec illa ex plantis cultis adhuc obtinui. Habitat in sylvis *Chili* ubi vulgatissima, nec non ad montium radices. Phrasis hæc erit.

XXVII.

» *A. Cavenia* aculeis stipularibus geminis validis, ramis petiolis
» pedunculisque glabris, foliis alternatim fasciculatis 2-pinnatis,
» pinnis 3-5-jugis, foliolis 10-15-jugis linearibus obtusis confertis
» glabris, glandula minima infra infima paria, capitulis axillaribus
» 1-3 subsessilibus, leguminibus subcylindricis » Nob.

Obs. Valde accedit ad *A. farnesianam* (W. sp IV p 1083) a qua tamen prima fronte distinguitur aculeis validis ac eburneis nec setaceis, pinnis numerosioribus, foliolis duplo triplove angustioribus glaberrimis, defectu glandularum inter pinnas, ac demum capitulis paullo minoribus omnibusque sessilibus vel valde brevius pedunculatus (Tab XII.).

KAGENECKIA.

Ruiz et Pav fl per prod t 37 (Dodec pentag
Rosaceae Spiraeaceae *DC Pr II p 547).*

Kageneckiae rarissimi generis e florae peruvianae Auctoribus statuti, et a recentioribus Botanicis recepti (H et B nov gen amer 6. p 236. = DC Pr II p 547 = Spr. syst II p 466 = Kunth synops III p 478) tres stirpes tantummodo enumerantur omnes arboreae Americam meridionalem colentes, quarum altera *(K. lanceolata)* valde dubia. Amabilem scientiam modo ditavit cl Bertero novam inveniens speciem in regionibus chilensibus secus flumen *Cachapual*, quam nobis humaniter communicavit sine nomine specifico, in hac *rami* sunt virgati leviter sulcati, nullomodo glutinosi, *folia* subsessilia, ovata, basi parum angustiora, apice obtusa vel rotundata vel quandoque plus minusve retusa, serrato serraturis brevissimis argutis non callosis, utrinque nitida, stipulis destituta; quod maxime notandum, nam Auctores omnes ad calcem diagnosis

genericae folia tradunt stipulis petiolaribus geminis esse instructa: *flores* sunt in singulis stirpibus dioici forsan abortu specimen meum corymbos refert terminales 5 6-floros, et ideo masculinum aucto rante cl. KUNTH (l. c.) qui tradit in hoc genere flores masculinos esse corymbosos, foemineos solitarios: revera florem nullum foemineum vidi in specimine. Ex hisce constat Berteroanam plantam rite novam stirpem constituere quam ex foliorum figura cum aliis stirpibus comparata *ovatam* appellare mihi placuit et ita definire.

XXVIII.

» *K. ovata*: foliis subsessilibus ovatis apice rotundatis retuseve » argute serratis nitidis exstipulatis » Nob. Habitat in *Chili* secus flumen *Cachapual* ex BERTERO.

Obs. Differt ab aliis stirpibus scilicet a *K. glutinosa* H. et B. ramis non *glutinosis*, foliis apice *rotundatis* numquam acutis, a *K. oblonga* R. et P. foliis *ovatis* non *oblongis* nec *acuminatis*, a *K. lanceolata* eiusdem auctoris, cui magis affinis, foliis non lanceolatis, ab omnibus demum absoluto stipularum defectu (Tab. XIII).

MYRTUS.

Spr. syst. II. p. 471. Myrti, Caryophylli, *et* Eugeniae *spec. Linn.*, Myrti, Jossiniae, Myrciae, Caryophylli, Acmenae, Eugeniae *et* Jambosae *spec. DC. Lam. ill. t.* 419 *pro* Myrto, 418 *pro* Jambosa, 417 *pro* Caryophyllo (Icosandr. Monog. MYRTACEAE)

MYRTI genus et ditissimum, et valde naturale habitu praesertim inspecto, innumeris mutationibus subiectum fuit ex Botanicorum doctrina. Iampridem a D. LINNAEO nonnullae stirpes *Caryophylli* et *Eugeniae* typum constituebant, dein a cl. KUNTH (3) quem secutus est perillustris SPRENGELIUS in unicum genus congestae, demum a ceberrimo DE CANDOLLE iterum in priora, aliaque novo genera divisum, adeout quamplurimae species (quae modo 374 enumerantur) fastidiosa indigeant synonymia, ut vix ac ne vix quidem rite determinari queant. In hisce rerum adiunctis tutius iudico KUNTHII et SPRENGELII opinionem amplectendam, eo maxime quod seminum structuram, quae magni habetur in allatis divisionibus, admodum incertam videam in permultis stirpibus.

Nonnullae a BERTERIO nostro detectae fuerunt in regionibus chilensibus, inter quas tres tantum enumerat in *Mercurio Chileno*, scilicet *M. Arayan* H. et B., *M. Ugni* MOLINA, et *M. triflorum* SPR. (4), sed insuper *M. Lumam* MOLINA, nec non quinque alias stirpes exsiccatas nobis communicavit sine nomine specifico, quarum tres prorsus novae videntur, et sequenti modo definiendae

(3) Notice sur le genre *Myrtus* et *Eugenia*. Mem. de la Soc. d'Hist. Nat. t. 1 part. II. p. 322. Synops. plant. vol. III. p. 410 et 411 in notis.
(4) Merc. Chil. n. 15. p. 702.

XXIX.

» 1. *M. Raran* foliis brevissime petiolatis late ellipticis vel sub-
» rotundis coriaceis supra lucidis subtus pallidiusculis utrinque pun-
» ctatis 1-nerviis, pedunculis axillaribus solitariis 1-floris folium
» subaequantibus, calyce 4-partito lobis patentibus obtusis, bacca
» subrotunda » Nos

Obs. Fruticulus ramosissimus e sylvaticis collium *Valparaiso* loco dicto *las Tablas*, et *Raran* vulgo appellatus. Folia crebra, parva sc. 3-4-lin. longa 1-2 vel ultra lata, avenia, tenuissime punctata. Rami minores rufo-tomentosi, adulti sicut caules glabri cortice cinereo, bacca magnitudine fructus *Myrti communis* nigricans lobis calycinis valde dilatatis coronata, 1-locularis 1-sperma, semen reniformi-incurvum.

XXX.

» 2. *M. rufa* foliis subsessilibus ovato-lanceolatis subfasciculatis
» coriaceis supra glabris subtus rufo-sericeis punctatis margine re-
» volutis evanide 1-nerviis, pedunculis axillaribus solitariis 1-floris
» folio brevioribus, calyce 4-fido lobis erectis rotundatis, bacca
» subrotunda » Nos

Obs. Priori, cum qua locus natalis communis, valde affinis, sed differt foliis *angustioribus* subtus *rufo sericeis* nec pallidiusculis tantum, nervo *evanido*, versus apicem ramorum *fasciculatis* margine *revolutis*, pedunculis *brevioribus*, lobis calycinis *erectis*. Nec baccae immaturae loculos, neque semina rite expendere potui.

XXXI.

» 3. *M. Guilla* foliis lanceolatis basi in petiolum attenuatis mu-
» cronulatis coriaceis supra glaberrimis saturate-viridibus subtus

» albo-flavescentibus ibique tenuissime nigro-punctatis 1-nervis,
» pedunculis axillaribus 1-3-floris terminalibusque cymosis, pedi-
» cellis 2-bracteolatis, floribus 4-fidis, bacca turbinata » Nob.
(Tab. XV)

Obs. Frutex elegans ob foliorum formam pro Myrtis speciosum, et eorum paginae inferioris alborem auream contentionem praeiacentem cum superioris saturata viriditate, lectus in sylvaticis humidis loco dicto *Penuelas* Provinciae Valparadisianae, et *Gudilla* vulgo salutatus. Rami stricti glabri, folia quandoque alterna sed tunc valde approximata, longitudine pollicari et ultra, latitudine circa medium vix 2-lin., venosa, punctis nigricantibus oculis nudis vix conspicuis subtus adspersa. Pedunculi axillares folium subaequantes saepius 3-flori, pedicelli pedunculo dimidio breviores. Cymae terminales subramosae foliolosae. Uti in priore baccas immaturas tantum vidi.

Huc pertinere videtur quarta stirps eisdem locis lecta, et vulgari nomine *Petrilla* donata, nam habitu simillima, differt tantum foliis brevioribus ac latioribus, huiusmodi varietates occurrunt saepissime in *Myrto communi* a celeberrimo Millerio *romana*, *tarentina*, *italica*, *boetica*, *belgica* appellatae.

Quintam demum stirpem simplici nomine vulgari (*Temu colorado*) insignitam, ac sine floribus et fructibus communicatam determinare datum non fuit. Truncus, monente Berterio in scheda, est rubicundus epidermide sponte decidua. Specimina autem referunt ramulos rufescentes, folia subsessilia ovato-lanceolata semipollicem longa latitudine unguiculari, utrinque glabriuscula, mucronulata, 1-nervia, venosa, tenuissime punctata.

TALINUM.

Adans fam. 2 *p.* 245 Portulacae *spec* *Linn* Anacampserosdis, Talini et Calandriniae *spec* *DC.* Talinum *Spr* et *Lam.* *ill.* t 402
(*Dodecandria monogynia* PORTULACEAE).

In *Portulacearum* ordine pro nonnullis generibus satis naturali, genera eadem tam obscura et artificialia evadunt, ut maximus sit Botanicorum dissensus circa eorum determinationem Hoc provenit praecipue ex inconstantia in numero partium floralium, quum in iisdem generibus stirpes occurrant calyce quandoque libero, alias ovario adnato, modo sepalis distinctis modo concretis et varie divisis, petalis interdum nullis quandoque 3-4-5-6 liberis vel basi subconcretis, staminibus saepe indefinitis, stylo nullo vel subnullo vel unico varie diviso, fructibus demum diverso modo dehiscentibus, imme quandoque indehiscentibus Nimis igitur in hoc ordine generum constitutio obscuritatem potius quam lucem producit. Equidem *Talini* genus jampridem ab ADANSONIO statutum satis distinguitur a *Portulaca*, cui LINNAEUS illud adnexerat, praesertim capsula infera circumscissa, sed inter *Talinum*, *Anacampserosidem*, ac *Calandriniam* differentiae tam leves sunt, ut malim, sequens etiam Sprengelianam distributionem, omnia sub *Talino* conjuncta retinere, characteres genericos ita emendando ut omnes stirpes comprehendantur, ut sequitur

Char essentialis genericus

» *Cal* liber 2-sepalus vel 2-partitus deciduus aut rarius persi-
» stens. *Pet.* saepius 5 raro 3 imo calyci inserta libera aut basi
» subconcreta. *Stam* indefinita, saepius 12 *Styl* 1 plus minusve
» 3-fidus *Caps* 1 locularis 3-valvis ab apice ad basim dehiscens
» polysperma. *Sem* alata vel nuda.

Stirpes ad hoc genus referendae iuxta supradictam commutationem numero 35 circiter extant in Prodr. cl. Candollei, scilicet 10 promontorii B. S. incolae ad *Anacampseros* spectantes, 11 ad *Talinum*, et 14 ad *Calandrinias* omnes americanae, excepto *Talino cuneifolio* in Arabia crescente. Chilenses regiones praesertim colunt *Calandrinias*, et complures a sollertissimo Bertero nobis humaniter missae fuerunt; inter has duae iam cognitae etsi admodum rarae enumerantur, scilicet *Talinum monandrum* R. et P. (*Calandrinia* DC. Pr. III. p. 359 n. 14) et *Talinum lineare* Hoffm. (*Calandrinia pilosiuscula* DC. l. c. n. 5) in collibus Valparaiso lectae; sequentes ad trutinam saltem revocatae novae mihi visae sunt.

XXXII.

» 1. *T. minimum* Mihi. (sed. sub *Calandrinia* Bertero in litt.) caulescens humillimum, foliis radicalibus longe petiolatis subspathulatis caulibusque villosiusculis, caulinis oppositis subsessilibus ovato-lanceolatis, floralibus confertis sessilibus ovatis canescenti-villosissimis, floribus terminalibus capitato-cymosis subsessilibus. » Nob. (Tab. XIV. f. 2).

Obs. Herba vix pollicaris, *Radix* simplicissima filiformis, *Folia* radicalia in rosulam disposita 2-lin. longa, versus apicem subspathulata ibique 1-lin. lata; *Caules* ex rosula plurimi filiformes fere nudi vel raris 2-4 foliis 1-lin. longis ½ latis oppositis vix petiolatis instructi, apicem versus simplicissimi vel subcymosi. *Folia* floralia, vel si malis bracteae, plurima involucri vicem gerentia caulinis paullo breviora superne villis inferne tomento canescenti tecta. *Flores* minimi fugacissimi inter folia floralia subsessiles 1-4 capitula fere orbiculata congesta diametr. 1-lin. constituentes. Stirps speciosissima lecta in arena mobili ad maris litus loco dicto *La vina de la mar* prope *Valparaiso* 1830.

XXXIII.

» 2 *T diffusum* Nob T...? an *Calandriniae* spec? Bertér.
» in sched Caulescens prostratum diffusum, foliis alternis spathu-
» latis acutis glaberrimis, pedunculis axillaribus solitariis 1-floris
» ebracteatis folium subaequantibus » Nob. (Tab XVI f 1)

Obs. Herba dodrantalis expansa valde diffusa, *radix* filiformis subramosa, *caules* plurimi prostrati subsimplices, *folia* semipollicem longa ultra medium 2-3-lin. lata, *pedunculi* filiformes florem solitarium ovatum diam 1-lin gerentes, *calyces* villosiusculi *petala* ex sicco rosea subaequantes; lecta 1830 in pascuis montosis loco dicto *las Tablas* prope *Valparaiso*

XXXIV.

» 3. *T Linaria* Nob T...? an *Calandriniae* sp? Bertér. in
» sched Caulescens decumbens, foliis alternis sparsisve linearibus
» glabris, paniculis axillaribus terminalibusque pauciflorls, pedi-
» cellis 1-floris bractea lineari sub-brevioribus, calyce persistente
» trigono penicillato » Nob.

Obs Herba fere pedalis caespitosa glabra facie *Linariae vulgaris*; *radix* ramosa fibrosa, *caules* plurimi decumbentes ramosi, *folia* linearia vel lineari-lanceolata inaequalia, *paniculae* laxae simplices, vel parce ramosae, *calyx* profunde 2-partitus seu disepalus persistens, sepalis ante anthesim planis trigonis margine glabris dorso villis albidis penicilli ad instar instructis, post anthesim concavis capsulam cingentibus, demum glabris, *petala* rubra calycem excedentia. Lecta in sterilibus apricis collium *Valparaiso* 1830

XXXV.

» 4 *T gracile* Nob T...? Bertér. in schedis Caulescens

» simplex erectum gracile, foliis alternis linearibus obtusiusculis,
» pedunculis axillaribus vel terminalibus subsolitariis foliis breviori-
» bus, calyce persistente patulo » Nob.

Obs. Herba 3-pollicaris, *caulis* solitarius erectiusculus quandoque adscendens linearis simplicissimus basi rubescens, *folia* linearia superne parum dilatata plana, *flores* parvi in extimis axillis fere semper solitarii brevissime pedunculati, insuper flos terminalis longius pedunculatus, *petala* violacea calycem glabrum ovato-acutum parum superantia. Lecta 1830 in *Chili* sine alia loci indicatione.

XXXVI.

» 5. *T. trigonum* Nob. T. ? Bertero in scheda. Caulescens
» decumbens subramosum glaberrimum, foliis radicalibus confertis
» caulinis alternis sparsisve omnibus longe petiolatis ultra medium
» spathulato-trigonis, paniculis terminalibus corymbosis, pedicellis
» 1-floris bracteis scariosis sub-longioribus, calyce persistente scarioso » Nob.

Obs. Herba valde pinguis spithamaea, *caules* decumbentes vel suberecti ad medium usque foliosi, hinc squamis alternis subscariosis distantibus (an folia abortiva?) instructi, uti folia rubescentes. *Folia* supra medium 3-gona angulis lateralibus rotundatis superiore acuto. *Flores* 8-10 in corymbum terminalem, *pedicelli* ad basim bracteis ovatis acutis scariosis diaphanis suffulti, *petala* ex sicco rubra calycem scariosum flavum venis fuscis pictum subaequantia. Lecta 1830 in *Chili* circa *Cochapual*.

CACTUS

Linn gen. n. 613 *et Spr syst II n* 1838 Mamillaria, Melocactus, Echinocactus, Cereus, Opuntia, Pereskia, *et* Rhipsalis *DC Pr. III p* 457 *et seq et* Revue de la famille des cactées, Paris 1829 (*Icosandria monogyn* CACTEAE).

Innumerae sunt huiusce speciosissimi generis stirpes, quae *cactearum* ordinem efformantes, nuper a Botanicis peregrinatoribus in americanis regionibus detectae, adeo ut postquam lucem vidit tertium prodromi Candolleani volumen anno 1828, in quo 174 enumerabantur, 47 prorsus novae ex solo imperio Mexicano a celeberrimo Doctore COULTER missae fuerint Genevensi Botanico, quas perbelle illustravit in citata *Revue de la famille des Cactées*. Laudandum igitur potius quam reprehendendum eius consilium si in tot distincta genera *cactearum* familiam divisit, quorumquam fructificationis organa characteres non satis spectabiles et constantes, immo quandoque incertos vel adhuc incognitos praebent, cum ex sola facie et forma externa illa dignoscere fas est: attamen ne tam insignis generis nomen omnibus notum e scientia nostra deleatur, satius videtur, eodem retento, in tot sectiones quot genera Candolleanus illud dividere more antiquiorum Botanicorum a cl. SPRENGELIO secuto.

Magis potius commendandus CANDOLLEUS ob tot tantasque physiologicas observationes circa *cactearum* structuram in laudata scriptura suppeditatas, quibus nonnullae recentius ad organographiam praesertim spectantes additae fuerunt a cl. TURPIN (5) *, observationes

(5) Observations sur la famille des *Cactées* suivie de la description d'une espèce nouvelle d'*Echinocactus* et de celle du *Rhipsalis parasitica* (Annal. de l'Inst. hort. de Fromont, tom. II p. 30 64 et ... avril, mai et juillet 1830).

* *Si se praebet* omnino gratum animum demonstrandi amicissimo CANDOLLEO qui supe-

quae experimentis suffultae a CARBOLEXI sententia in quibusdam discrepant. Alia facta vel adhuc incerta, vel etiam repetitis experimentis meis ab allatis recedentia mihi constiterunt, ex quo operae pretium duco ad scientiae incrementum illa paucis complecti.

1.° *Mamillarias* affirmat CARBOLEXI *axi ligneo destitutas*, ex sectionibus tam horizontalibus cum verticalibus diagonalibusque iterum iterumque in *Mamillariis* meis repetitis agnovi circa centrum substantiae carnosae seu contextus cellularis qua componuntur, reperiri fasciculum fibrarum figura subconica ac fere cylindrica e collo plantae incipientem, itaque magis lignosum, hinc ad eius apicem usque progredientem, fasciculus hic fovet in centro medullam tamquam in canali proprio inclusam, versus basim fere evanidam, eundo ad apicem sensim sine sensu affluentiorem, ex illo trans contextum cellularem fibrillae leste tantum conspicuae exsurgunt ad epidermidem usque radiatim productae, hae sunt veri *radii medullares* recentiorum physiologorum et subdivisiones horumce radiorum *appendices medullares* appellatas detegere haud potui. In plantis adultis basim versus supra collum substantia carnosa fasciculum ambiens prorsus exsiccatur, medulla centralis fere evanescit (6), tuberculi seu mammae exteriores vix apparent ad instar cicatricum quae post foliorum casum in pluribus exogenis observantur, ac demum veras truncus efformatur, postrema observatio confirmat

rime et novissimae Cacteas vivvetes inter mexicanas a COULTERO receptas locupletes mihi et el. collegae nostro MORISIO communicavit.

(6) Haec forte mentem habent analogiam cum quibusdam observationibus nuperrime TURPINI — *L'écorce et la moëlle sont très-développés; le bois prend peu d'accroissement et on n'y remarque pas ces progressions annulaires qui dans les autres dicotylédons indiquent l'âge de l'individu* — et paullo post — *Dans une jeune plantule de Mamillaria discolor on trouve au centre un faisceau composé de deux ou trois hélicuses accompagnées de quelques fibres droites et très-fines; dans les tiges, toutes formées des Cactées, on trouve des troncons mâles de la moëlle accompagnées de fibres et de quelques gros tubes d'une étendue assez bornée et paraissant comme fibreuses ou ponctuées en trâmes* — (Bull. des scienc. nat. Ferus. 1830 avril p. 76-77).

Candollei opinionem qui mamillas in *Mamillariis* tanquam earum folia considerat uti in *Mesembrianthemis barbatis*.

2.° *Lactescenti* succo *Mamillarias* repletas dicit celeberrimus memoratus Auctor, *aquoso* ceteras *Cacteas*. Generalis haec affirmatio maiorem requirit explicationem, ne physiologiae studiosi in errorem inducantur. Plantae lactescentes proprie dicuntur quae succum lacteum ex sectione vel etiam ex simplici epidermidis punctione in quocumque puncto exsudant, uti observatur ex. gr. in *Euphorbiis*; similem expressionem numquam obtinere potui ex *Mamillariis* si unam dubiam speciem excipias, quae a cl. collega nostro Professore Moris pro *Mamillaria coronaria* dubitanter habetur, quaeque tamen nondum floruit, et utrum ad *Euphorbias* pertineat ipse semper ambegi; in ceteris *Mamillariis* quas possideo, scilicet in *Cacto prolifero*, *pusillo*, *Spinii*, et *abnormi* (7), constanter etiam sub 26-30 gradibus caloris therm. Reaum. humorem aqueosum, nec lacteum observavi; et in *C. mamillari* (*Mamillaria simplex* Haw. et DC.) succus duplex delabitur, aqueus scilicet in toto contextu cellulari expansus, et lacteus in quibusdam receptaculis tantum eiusdem contentus; receptacula haec in numero valde minori et breviora apparent quam priora, sed magis dilatata, et prorsus similia illis, quae cl. Mirbel descripsit et delineavit sub nomine *réservoires fasciculaires* (8). Ceterum succus lacteus ille quo sermonem habemus est omnino insipidus, inodorus, tactu liquidus nec viscosus, ac libero aeri expositus, uti aqua, exhalatur quin ullam apparentem concretionem adquirat; deest prorsus in cortice, in axi ligneo, imo et in mamillis.

3.° Dubitat demum Candolleus an in *Mamillariis* cotyledones existant quod inficiatus erat cl. Nuttal; revera illas in seminibus

(7) Forsan *C. abnormis* ad consequentiam trahi non potest, quum ad *Cereos* potius quam ad *Mamillarias* inter quas enumeratur a Spr. sit referendus, uti censuit De. qui locus [illegible] [illegible] in t. XI memoriae scripturae.

(8) Mirb. Elem. pl. 10. f. 17. Theor. tab. 2. pl. 3. f. 12.

Cacti mamillaris quae toties matura obtinui, frustra etsi diligentissime ipse quaesierim, enatis tandem ex iisdem multiplicibus plantulis, et lenti germinatione subiecta gavisus sum dum hanc recognovi omnino congruere cum germinatione *C. melocacti* ab ipso Candollio accurate descripta et delineata (9).

Ex hisce constat *Mamillarias* a ceteris plantis exogenis seu dicotyledoneis haudquaquam recedere, nec connumerandas esse generatim inter plantas lactescentes uti *Euphorbiae*, excepta planta Molinae si ad *Cactos* referenda, et *Cacto mamillari*, in quo succus colore lacteo in receptaculis propriis aestivo tempore sub altiori temperatura occurrit.

Cacteae abundantiores in Americae regionibus aequinoctialibus, uti dixi, non desunt in Chili, et iam commemoraverat Bertero in Mercurio Chileno 1° verum *C. peruvianum* L. cuius semina misit, et rarissime invenitur in hortis europaeis, ubi cum eo confundi solet *C. hexagonus*, 2° *C. coquimbanum* Molin. 3° speciem alteram quam *C. curvispinum* appellavit cum sola indicatione, affinem esse *C. recurvo* Mill. (10). Demum tum huius, quam aliarum novissimarum stirpium et plantas virentes, et specimina sicca, et semina sine nomine specifico communicavit, cum nihil in epistola elapsi anni renunciavi. Restat ut hae botanicae divitiae sapientibus innotescant.

---

(9) DC *organographie* vol. II. t. 48. f. 3 Circa cotyledones *C. melocacti* ei, Turpinius dubitat an appendices quas Candollius pro illis habuit ad radiculae potius spectent, quae tamen germinationem huiusce stirpis numquam observaverit; at dum sermonem habet de *Cactorum* germinatione in genere haec affirmat — Les traits principaux qu'offre la germination des Cactées sont 1° [illegible] etc. 3° *Dans les deux cotylédons opposés, qui dans ce groupe offrent toutes les nuances possibles, depuis le développement le plus complet de ces organes appendiculaires jusqu'à leur entier évanouissement* (Bull. des sc. nat. l. c. p. 74).

(10) Merc. Chil. n. 13 p. 598.

XXXVII.

» 1. *C curvispinus* Berter. l. c. globosus basi simplex, tuber-
» culis parvis subrotundis distinctis atro-virentibus glabris apice longe
» spinosis, spinis 9-12 tuberculo multoties longioribus griseis va-
» lidis subulatis inaequalibus incurvis suprema validiore ». Nob.
(Tab XVI f. 2.).

Hab in *Chili* locis saxosis collinis praesertim secus *Cachapual*.
Non video stirpem hanc tam proximam esse *C. incurvo*, uti mo-
nebat Berterio, in primis cum *C. incurvus* inter *Melocactos* ab
auctoribus omnibus enumeratur (11), quum stirps Berteriana ma-
nifeste ad *Mamillarias* pertineat; insuper prima spinas gerit bifor-
mes exteriores expansas, centrales apice tantum recurvas, in hac
spinae sunt inaequales, sed omnes eandem formam et figuram in-
curvam, non recurvam praeseferunt, facies demum tam diversa et
singularis ob longitudinem et dispositionem spinarum, ut prima
fronte e ceteris stirpibus dignosci facillime possit.

XXXVIII.

» 2. *C horridus* Nob. sphaerico-depressus late umbilicatus basi
» simplex, tuberculis magnis ovato-compressis viridibus apice den-
» sissime lanatis spinosis, spinis 9-12 rectis inordinate radiantibus,
» superioribus validissimis corneis tuberculis longioribus, inferiori-
» bus tenuioribus rigidis ». (Tab. XVII f. 1.)

Hab *Chili* in petrosis aelivibus collium *Valparaiso*. Differt a
priori figura depressa, statura duplo triplove maiori, lanae praesen-
tia apice tuberculorum praecipue iuniorum, spinis brevioribus
rectis.

---

(11) Syst. veg. II p. 495 n. 14 sub C. nobili; Dc. Pr III p. 460 n. 8 sub *Echinocacto*.

XXXIX.

» 3. *C. Bertori* Nob. ovato sub-cylindricus apice rotundatus basi » simplex, tuberculis creberrimis parvis ovato compressis atro viri» dibus glabris apice spinosissimis, spinis tuberculo duplo longio» ribus albidis demum nigrescentibus, 2-5 superioribus rectis radian» tibus rigidis, ceteris mollibus ». (Tab XVII. f. 2).

Hab. cum priore a quo ceterisque *Mamillariis* differt praecipue spinarum quantitate quae tam crebrae ut vix ac ne vix quidem tuberculorum dispositio secerni possit.

XL.

4 C . . Aliam stirpem exsiccatam cum solo flore et spinarum fasciculo accepi, quam ideo determinare non possum nisi respectu sectionis, flores oriuntur ex axillis fasciculi spinarum et referunt tubum semipollicarem coloratum polysepalum imbricatum pilis longissimis albidis obsitum, petala corollam sub-infundibuliformem calycis longitudine ex sicco roseam efformantia, stamina vix e corollae tubo exserta, fasciculus ad flores latum exteriorem in axillo breviter sed densissime lanata constat 20-25 spinis validis rectis inaequalibus scilicet 2-3 maioribus calycis longitudine fuscis, ceteris gradatim minoribus albicantibus, ac ita dispositis ut areum 90 graduum constituant; ex quibus liquet stirpem hanc probabiliter ad *Cereos* esse referendam. Crescit *Chili* in rupestribus maritimis *Valparaiso*.

XLI = XLII.

5-6 Demum binas stirpes possideo enatas e seminibus missis a laudato Berteo anno 1830 sine nomine specifico, sed plantulas vix pollicem attingentes determinare non audeo, ex germinatione et facie prima videntur Cerei.

ESCALLONIA.

Linn fil. suppl. 21. *Gaert. fruct.* 3 *p.* 16. *t.* 182. Stereoxylon *R. et P. fl. peruv. Pr. p.* 38 (*Pentandr. monog.* Ordo naturalis Ericinae *Kunth. et Spr.* Campanulaceae *vel* Gentianeae *alior.* Escalloneae *R. B.* Saxifrageae *DC. Pr. IV. p.* 2).

Quam obscurum sit in methodo naturali specierum *Escalloniae* genus, iam patet ex sola ordinum enumeratione, ad quos celeberrimi laudati Auctores illud spectare non sine magno dissensu existimarunt. Meherele abatu inspecto ad *Rhododendra* magis quam ad ceteros ordines accedere videretur, sed valde recedit fructificatione, scilicet calyce ovario *adnato* non *libero*, corolla *pentapetala* nec *monopetala*, staminibus constanter *pentandris*, nec saepius *decandris* uti in *Rhododendris*, fructus demum *baccati* structura et *dehiscendi modo*. Satius igitur arbitramur cum magno R. Brownio proprium ordinem *Escalloniam* constituere, cui forsan Itea, quamvis fructum respse capsularem gerat, et pauca alia minus nota genera coniungi possunt (12), sed a veris Saxifrageis omnibus herbaceis tantum aberrant Escalloneae omnes frutescentes tum habitu, cum fructificatione, pericarpii praesertim structura, ut harum cum illis commixtio naturae ordinem, si quis est, evidentissime abrumperet.

Escalloniae stirpes quae modo 23 enumerantur (13) Americae australis regiones colunt, praesertim Peruviae, Brasiliae, Andium Quitensium, Freti Magellanici, ac Chili, faciem propriam referunt, lignum compactum saepe resinosum, ramos directione varios, folia plerumque sparsa ex ovato plus minusve oblonga serrata vel inte-

(12) Quintinia Alph. DC., Forgesia Commers., et Anopterus Labill. Conf. DC. Pr. IV p. 5. 6.
(13) DC. l. c. p. 2. 5.

gerrima glabra vel villosa levia aut resinosa; earum inflorescentia quandoque solitaria apparet, saepius tamen flores sunt in racemos paniculasque terminales dispositi, magnitudine inaequales, colore albo vel roseo, dentes calycini acuti vel obtusi tubum superant vel subaequant, stylus petalis modo brevior, modo longior se se ostendit. Ex hisce notis optimi specifici characteres desumi possunt.

In Mercurio Chileno duas stirpes iam cognitas enumeraverat BERTERO, scilicet *E. rubram* PERS. et *E. resinosam* eiusdem auctoris, insuper novam speciem laudabat, quam *E. thyrsoideam* ipse dixit dum nil aliud indicabat nisi corticem referre catharticum (14). Hanc demum cum alia novissima sine nomine triviali perfecte exsiccatas nobis suppeditavit, quarum phrases verbis sequentibus exarandas duco.

XLIII.

» 1. *E. thyrsoidea* BERTER. l. c., ramis erectiusculis tetragonis
» villosis, foliis ovatis basi in petiolum attenuatis argute serratis
» mucronulatis superne glabriusculis resinoso-punctatis inferne ca-
» lycibusque villosiusculis, panicula elongata thyrsoidea subfoliosa,
» floribus sessilibus, dentibus calycinis acutis tubo brevioribus,
» stylo longissimo ». Nob. (Tab. XVIII).

Hab. *Chili* in sylvaticis umbrosis secus rivulos loco dicto *las Tablas*.

XLIV.

» 2. *E. rubricaulis* glaberrima, ramis erectis cauleque rubescen-
» tibus teretibus, foliis oblongo-ovatis subserrulatis impunctatis
» mucronatis, pedunculis axillaribus sub-bifloris et paniculа termi-

---

(14) Merc. Chil. n. 13 p. 616.

» nali paucifloro, floribus longe pedicellatis, dentibus calycinis acutis
» tubum subaequantibus, stylo petalis sub-breviore ». Nob.

Hab. in fruticetis et sylvaticis apricis collium insulae *Juan Fernandez*.

BOWLESIA.

R. et P. fl. per. prodr. p. 44. t. 34. Rich. Hydr. p. 21. t. 51. f. 3. (Pent. dig. UMBELLIFERAE hydrocotyleae. Spr. umb. Prodr. p. 24. DC. coll. mem. V. p. 31. et Prodr. IV. p. 75.)

Postquam naturalissima et ditissima ac extricatu difficillima *Umbelliferarum* familia iterum iterumque a summis Botanicis praesertim CUSSON (Act. Soc. med. Paris 1782) SPRENG. (umb. prodr. 1813. et in R. S. syst. 6. p. XXIX.), HARTM. (gen. umb.) KOCH (umb. disp. in nov. act. nat. cur. 1824. v. 12. p. 55. 156) et a DC. (l. c.) ad trutinam revocata fuit, omnes consentiunt *Bowlesiae* genus a R. et P. statutum pro nonnullis plantis regiones peruvianas ac chilenses colentibus in prima *umbelliferarum* sectione (*Hydrocotyleae*) collocandum esse, utpote valde affine tum habitu cum fructificationis organis generi *Hydrocotyles* ex quo tribus nomen desemptum.

Stirpes ad *Bowlesiam* pertinentes modo cognitae numerum 7-8 non excedunt, sunt autem omnes herbaceae, graciles, plerumque stellato-pubescentes, folia gerentes opposita simplicia plus minusve ac vario modo lobata vel dentata petiolata, earum flores tenuissimi apparent ac saepius sessiles in umbellam brevem pauciflorum frequentius nudam vel involucro simplici foliolis minimis setaceis cinctam.

In *Chili* nascentes tres stirpes enumerat CASTELLARUS, scilicet

B. nodiflorum Presl., *geraniifolium* Schlecht., et *dichotomum* Poepp. (15). Secundum memorat quoque Bertero, de ceteris silet, sed addit duas alteras ipsum invenisse, quas novas existimat, quin nomen triviale nec aliam quam minimam praebeat indicationem (16).

De hisce duabus stirpibus, quas excreatas misit, quasque et ipse distinctissimas existimo, sermonem habeo.

XLV.

» 1. *B. uncinata* procumbens ramosissima, caule ramis petiolis-
» que setis simplicibus validiusculis uncinatis adspersis, foliis re-
» niformibus profunde 3-partitis laciniis lateralibus 2-lobatis lobis
» subintegris, media longiore 3-loba lobo superiore multoties lon-
» giore, margine et ad nervos setoso-hispidiusculis, umbellis pauci-
» floris axillaribus subsessilibus, terminalibus pedunculatis, invo-
» lucro setaceo minuto » Nob. (Tab. XIX.).

Hab. *Chili* in sylvaticis et ad sepes *Valparaiso*.

Descriptio

Radix (annua uti in ceteris stirpibus?) fusiformis vix in fibras tenuissimas subdivisa lutescens. *Caules* ex caudice plures, fere caespitosi, pedales et ultra ½ lin. diametr., valde debiles et idea *procumbentes* dixi in diagnosi, geniculata internodiis 1-2-pollicaribus, teretiusculi, striati, hispidissimi seu setis simplicibus ad instar aculeorum validiusculis minutissimis uncinatis albidis undique adspersi, ramosissimi. *Rami* sparsi gracillimi, ceterum uti caules. *Folia* ad genicula opposita, suberecta, petiolata, semipollicaria, reniformia,

(15) DC. Pr. IV. p. 76-77. n. 4. 5. 7.
(16) Merc. Chil. a. XIII. p. 698.

profunde 3-partita, laciniae laterales 2-lobatae, lobi distantes, superiore parum longiore, plerumque integri, interdum in foliis inferioribus praesertim 1-2 sectis segmentis rotundatis, lacinia media lateralibus paullo longior constanter triloba, lobo superiore ovato-lanceolato longiore, lobis lateralibus plus minusve productis saepius inaequalibus obtusiusculis, lobi omnes 1-nervii, reticulato venosi, apice brevissime mucronulati, margine et ad nervos venasque setis tenuissimis rectis simplicibus adspersi, unde folia visu glabriuscula, tactu hispidiuscula. *Petioli* lineares, striati, folio parum longiores, setis minus validis quam in caule ac vix uncinatis adspersi, basi stipulis scariosis parvis instructi. E foliorum axillis et inter stipulas non semper exsurgunt parvae umbellae sessiles ac plerumque solitariae 2-3-florae ab iisdem stipulis involucri vicem gerentibus fere tectae. Apice autem ramorum e foliorum extremorum axillis pedunculi oriuntur saepius bini, interdum terni, petiolos aemulantes ac subaequantes et parvam *umbellam* gerentes; haec est 3-5-flora, ac involucro setiformi subscarioso undique cincta, ut vix flores ceterum minutissimi adpareant. Non vidi stipulas in extremis foliis, an igitur stipulae inferiores tanquam verum involucrum haberi debent, et ubi desunt flores abortui tribuendum? Organa floralia ob earum tenuitatem in siccis scrutari nequivi, sed habitus, inflorescentia, ceterique characteres dubitare non sinunt quin novissima stirps haec ad *Boulesiae* genus sit referenda.

Obs. Accedere magis videtur ad *B. palmatam* R. et P. et *B. nudifloram* Presl., sed differt a priori praecipue caule *procumbente* nec *erectiusculo*, umbellis inferioribus *sessilibus* nec *longe pedunculatis*, ab altera foliis *profunde partitis* nec vix *sublobatis*, ab omnibus denum pube pilis validis uncinatis nec mollibus stellatisque efformata, ex quo charactere nomen triviale desumendum duxi.

XLVI.

» 2 *B. multiradiata?* erecto dichotoma tota pilis stellatis in-

» caule, foliis ovato-oblongis apice inaequaliter dentatis, umbellis
» axillaribus terminalibusque longe pedunculatis multiradiatis nudis,
» pedunculis simplicibus vel apice bifidis basi 2-foliatis ». Nos.
Hab. *Rancagua* (*Chili*).

Obs. Maxime accedit ad *B dichotomam* Poeppig ex diagnosi DC. in Pr IV p 76 n 7, sed videtur differre foliis apice *inaequaliter* et irregulariter dentatis, nec 3-*dentatis* tantum, umbellis non 5-7, immo 10-15-floris et reapse pedicellorum praesentia radiatis, qua nota a DC. adentio praetermissa e congeneribus flores subsessiles gerentibus facile dignoscetur. An specimen sub quo cl. Candolleus phrasim exaravit imperfectum? An planta varians? An ob flores pedicellatos a genere excludenda?

SANICULA.

Linn gen n. 326 *Lam. ill. t.* 191 (*Pentandr digyn.* Umbellatae desciscentes *Spr umb prodr et in R. et S. syst.* 6. *p.* xxii Umbelliferae coniculeae *DC coll. mem V et Pr IV p.* 84)

Saniculae stirpes in Chili nascentes tres enumerat Candolleus l c, scilicet *S liberiam* Cham et Schlecht., *S. crassicaulem* et *S graveolentem* Poeppig. Priorem cum altera sub nomine *S. chilensis* exsiccatas misit Berterio ille perfecte quadrat cum diagnosi *Candolliana* (l c. n. 5), sed vix ac ne vix quidem videtur differre a *S marilandica* L. ep 339 cum qua illam commixit Spr in c post p 116. At *S. chilensis* ita appellata in scheda a Berterio sine ulla indicatione maximam habet affinitatem cum *S. crassicauli* et *graveolente* sed utraque brevi phrasi insignita descriptione caret, nec ex sola diagnosi, quum illas non viderim, firmissimum iudicium ferre audeo, quum differentias nonnullas etsi non satis evidentes secernere mihi visum fuit Ceterum si stirps *Berteriana* est reapse distincta, nomen immutandum, dum aliae *Saniculae*

seque regiones chilenses colunt, quod nominis antiquitati non nocet, nam hoc lucem adhuc non vidit; illam igitur *macrorhizam* appellandam et sequenti modo definiendam propono.

XLVII.

» *S. macrorhiza* Nob. *S. chilensis* Benth. med foliis inferiori-
» bus longe petiolatis 5-partitis partitionibus distantibus profunde
» 3-lobatis lobis sinuatis sinubus rotundatis mucronulatis, superio-
» ribus brevi petiolatis irregulariter incisis, umbellis axillaribus
» terminalibusque longe pedunculatis involucro oligophyllo, foliolis
» difformibus, umbellulis subsessilibus subinvolucratis, floribus om-
» nibus sessilibus calyce laeviusculo, radice crassissima » Nob.
(Tab. XX).

Hab. *Chili* in pascuis sylvaticis collium *Valparaiso*.

Descriptio.

Radix fusiformis, profunda, digiti minimi crassitie, carnosa, subgranulata, epidermide rufescente, intus flavescens, sapore aromatico dulci fere ut *Glicirhizae*. *Caulis* adscendens, diffusus, debilis, compressiusculus, striatus, glaberrimus, parce ramosus, vix dodrantalis. *Folia* radicalia plurima, caulina pauca, glaberrima, ceterum ut in diagnosi. Praeter *caulem* proprie dictum ex caudice inter folia radicalia exsurgunt saepius pedunculi seu melius scapi nudi petioles subaequantes apice umbellam gerentes. Caulis autem, alios pedunculos refert axillares ac terminales apice umbelliferos. *Umbellae* ex scapis et axillis sunt plerumque trifidae scilicet gerunt umbellulas tres subsessiles arcte in capitulum primo adspectu unicum ac pisi communis magnitudine connectas, umbellae terminales saepius subdividuntur in 3-4 capitula forma priorum, sed pedunculata, et simul racemulum aemulantia: umbellae omnes involucro irregulari foliis difformibus cinctae. *Umbellulae* omnes capitata

subsessiles foliolis 2-3 linearibus involucellatae. *Flores* in unaquaque umbellula numerosissimi, minimi, omnes sessiles: *calyx* levis sculus; *petala* ovata, integra, conniventia, flava. Cetera ob florum tenuitatem et fructus maturi defectum in speciminibus determinare non potui.

OBS. Ex hisce constat valde non differre stirpem nostram a supracitatis *S. crassicauli* et *graveolenti*, si excipias varias foliorum sectiones quae difficillime describi possunt; insuper in prima flosculi masculi dicuntur *pedicellati*, in nostra sunt omnes *sessiles*; altera umbellulas gerit 12-15-floras et petala *cuneata*, in umbellulis nostrae flores sunt innumeri, et habent petala ovata integerrima; praeterea *graveolentem* asserit CANDOLLIUS comparationis modo foliis referre fere *Scrophulariae caninae*, dum in nostra toto coelo differunt; demum de *radice* tam in planta Berteriana distincta, ex qua nomen triviale desumpsi, nec non de *caule* et *scapis* prorsus silent laudatae diagnoses.

PLANTÆ RARIORES

IN REGIONIBUS CHILENSIBUS

A CLARISSIMO

M. D. BERTERO

NUPER DETECTÆ

ET

AB A. COLLA

IN LUCEM EDITÆ

Fasciculus II.

Taurini, ex Regia Typographia.

Memorie della R. Accademia delle Scienze di Torino, Tom. xxxviii, pag. 1

PLANTÆ RARIORES

IN REGIONIBUS CHILENSIBUS

A CLARISSIMO M. D. BERTERO

NUPER DETECTÆ

ET

AB A. COLLA

IN LUCEM EDITAE

LYTHRUM

Lam. gen. 825 *Lam. ill.* t. 408 (*Dodecand. monog.* L. Salicariae *Juss. gen.* 330 Lythrarieae Salicarieae *DC Mem. Soc. H. n. gen.* 3 *et Prodr. III p.* 75).

Lythraricarum naturalissimus ordo nonnullas praebet species ex regionibus Chilensibus, monente Cl. Bertero, scilicet *Lythrum thymifolia* et *hyssopifolia* L., *Lythrum albicans* (nova species Berteroana Merc. Chil. 1829, n. XV, p. 694), *Nesaeae* vel *Cupheae* stirpes tres absque nomine nec aliis indicationibus (l. c. n. XVI, p. 735). Num plantae, quas exsiccatas nobis communicavit sub nomine *Nesaeae* cum dubitationis signo ad illas referri possunt,

asserere non audeo; etenim ubi indicabat *Nesaeas* ab ipso detectas ad *Cupheam* potius pertinere; sed inter characteres essentiales huic generi ab Auctoribus tributos locum tenet calyx *basi gibbus*, quem prorsus aequalem video in plantis Berterianis: hae verus ludunt inter *Lythrum* et *Nesaeam*, et ob capsularum defectum in speciminibus non vidi num illae duobus loculis tantum uti in *Lythro*, an quatuor ut in *Nesaea* instruantur: attamen melius ad primum genus ipsas accedere suadent tum bractearum praesentia cum inflorescentiae characteres. Interea pro certo habeo plantas nostras optimam distinctam speciem constituere, quam nullibi descriptam inveni.

Descriptio.

Planta pumila glaberrima. *Radix* probabiliter annua fusiformis, simplicissima, radiculis fibrisve prorsus destituta, subtortuosa. *Caulis* adscendens, filiformis, fere aphyllus, teres, humilis seu vix sesquipollicaris, subramosus. *Rami* saepius 2 tantum, interdum 4 oppositi, divaricati, parce foliosi, caule longitudine. *Folia* pauca 3 4-5-6 versus apicem ramorum et caulis, inferiora alterna basi in petiolum brevissimum attenuata, superiora opposita sessilia, ovato-lanceolata, 3-4 lin. longa, 1 ½ lata, superne viridia, inferne rubicunda, exstipulata. *Spica* ovato-oblonga cylindracea, vix semipollicaris, simplex, bractea foliacea ad basim florum ovata iisque paullo brevior. *Flores* sessiles contigui. *Calyx* tubulosus, persistens, coloratus ac basi flavescens versus apicem roseus, squamis bracteiformibus, praeter bracteam foliaceam, numero vario, lineari-lanceolatis sub-scariosis ad medietatem circiter arcte cinctus, 1 lin. longus, apice 4-5-dentatus dentibus acutissimis saepius 1-2 denticulis minutissimis inter primos instructus. *Petala* 4-5 summo calycis tubo inter dentes majores inserta, obovata, 1-2 lin. longa, patentia, caducissima, alba. *Stamina* petalorum numero aequalia, aut (abortu?) pauciora parum infra eadem inserta, brevissima, vix

ex tubo calycino inserta. *Ovarium* liberum in fundo calycis. *Stylus* filiformis brevissimus. *Stigma* subcapitatum. *Capsulam* maturam non vidi.

XLVIII.

» *L. divaricatum* herbaceum pumilum glaberrimum, ramis di-
» varicatis paucifoliatis, foliis ovato-lanceolatis superne viridibus
» inferne rubicundis, spica terminali ovato-oblonga simplici, flori-
» bus contiguis sessilibus bracteatis, calyce discolori 4-5-dentato
» squamis cincto, petalis albis staminibusque dentium calycinorum
» numero aequalibus » (Hab. in *Chili*). Vid. fasc. I tab. XIV
f. 1 (1).

VALERIANA

Spr. syst. n. 139. Valerianae *spec. Linn. Lam. ill. t.* 24. *f.* 1.
(*Triandr. monog.* L. Valerianeae *DC. fl. fr.* 4. *p.* 237 *et
Prodr. IV. p.* 633. Dipsaceae *sect.* 2. *Juss. gen.* 195).

Valerianae genus a LINNEO statutum varias postmodum subiit mutationes tum ob multiplices stirpes subinde detectas, cum praecipue inspectis nonnullis differentiis in fructificationis organis. Ex hisce differentiis octo genera prodierunt, sc. *Patrinia* Juss. ann. mus. 10 p. 311, *Valerianella* MOENCH. meth. 486; *Astrephia* DUFR. vol. p. 50, *Fedia* MOENCH. meth. 486; *Centranthus* DC. fl. fr. 4 p. 238; *Valeriana* et *Betckea* DC. coll. mem. VII, quibus si addas *Nardostachydem*, *Dufresniam*, *Plectritidem* et *Triplostegiam*, genera ab ipso DC. creata pro paucis stirpibus novissime detectis, integram habebis *Valerianearum* familiam.

---

(1) « 1. Ordo numericus tabularum huiusce fasciculi progreditur ordinem numericum fasciculi I.

Plures *Valerianae* stirpes crescunt in *Chili* uti videre est in DC Prodr IV p 632-641 inter quas nonnullas iam cognitas nobis communicavit Berterius, sequentes autem prorsus novas existimo

XLIX.

« 1 *V samolifolia* Berter ined. (sub *Betkea* DC. coll. mem VII » et Prodr IV p 642) caule herbaceo erecto vix striato, foliis » omnibus indivisis subintegerrimis vel subrepandis ovatis, inferiori- » bus brevi petiolatis, superioribus sessilibus subamplexicaulibus » nervosis undique glaberrimis, corymbis inter folia suprema sub- » sessilibus paucifloris, staminibus exsertis, fructu sub-nudo ». Nob (Tab XXI)

Obs. Pro sola hac specie Cl. DC novum *Betckeae* genus constituit in honorem Cl. Betcke *Valerianellarum* descriptoris, at si excipias in illa fructum esse peppo destitutum ob caducitatem calycis limbi, nullae differentiae adparent in fructificatione, quae illam sinant a *Valerianis* disiungere, addo *Valerianellae* genus, in quo fructus dentibus calycinis coronantur a multis perillustribus Botanicis haud fuisse receptum atque ad *Fedium* amandatum Stirps Berteriana ludit quidem inter *Valerianellam* et *Fedium*, sed numero staminum (3) ad primam potius accedit et in eo tantum discrepat quod fructus omnino nudus nec dentibus coronatus habeatur, adde insuper in speciminibus meis nonnullos fructus subdentatos adparere etsi peppo destitutos, donec igitur attento examini subiciantur plantae vivae, quod nec Candolleo nec mihi datum fuit, satius est illam inter *Valerianas* recensere et collocare in sect. III. (*Phu*) § 3 iuxta ordinem DC. Prodr. IV p. 634 prope *V lapathifoliam* Vahl., a qua tantum videtur differre statura undique valde minori, caule fere laevi nec evidenter striato, foliis undique glaberrimis nec in nervis villosis, corymbis simpliciter paucifloris non trichotomis. Lecta a Bertero in *Chili* locis montanis prope *la punta de Cortes*

II.

» 2. *V. Berteri* caule herbaceo erecto glabro sulcato, foliis fere
» omnibus pinnatisectis, segmentis 3-7 jugis inaequalibus lineari-
» lanceolatis subintegris, supremo lato lanceolato valde maiori sub-
» dentato, corymbo paniculato, staminibus inclusis, fructu subin-
» curvo trigono ad angulos villoso ». Nob.

Obs. Habitu vix recedit a *V. Officinali* L. sp. 45, sed differt foliorum segmentis inaequalibus ac minus profundis, et praecipue staminibus non exsertis, in forma fructus et villorum praesentia mera circa angulos. Accedit quoque ad *V. Papillosa* Bertr. med. ac a DC. descriptam (Prodr. IV. 638. n. 58), quae cum nostra communem patriam habet, sed in *Papilla* fructus oblongi maximi et hispidissimi dicuntur, in nostra autem magnitudine pappum vix aequant, sunt evidenter incurvi ac trigoni et ad angulos tantum villosi, insuper pedicelli *glabri* nec *pilosuli* apparent, pappus *albus* non *subalbicans*. Lecta a Berteroe in Chili secus *Cachapual* et missa sine nomine specifico nec vernaculo an. 1830.

CENTAUREA.

Linn. gen. n. 1331. Lam. ill. t. 703 (Syngen. frustran. L., Compositae Tourn.; Cinarocephalae verae Juss. gen., Centaureae Cass. Cynareae decemeonites Spr.).

Numerosissimi huiusce generis stirpes duas tantum enumerat Berterus Chilensium regionum indigenas, scilicet *C. Americanam* Spr. nec Nutt., et *C. chilensem* Mirab. med. (Merc. Chil. n. XIII. p. 600). Primam descripsit Sprengelius syst. III. p. 407. n. 140 et crescit pariter in *Parana, M. Video, et Paraguay*, nec valde differre videtur a nostra *C. solstitiali*; attamen toto coelo diversa ab altera *C. americana* Nutt. quam ipse illustravi in b. Ripul

app I. p. 119 et t. 6, cuique nomen immutavit Sess. in c. p.* p. 298 (*C. Nuttalii*) ne confundatur cum sua etsi recentiori. Altera illustratione indiget ob eius elegantiam.

LI.

» *C. chilensis* Miers sec. Berter. l. c. Herbacea elata subsimplex glabriuscula, foliis lineari-pinnatifidis, laciniis lateralibus » subdecurrentibus subaequalibus integerrimis suprema multoties » longiore; capitulis terminalibus solitariis rotundato-ovatis amplissimis, anthodii squamis ovatis scariosis adpressis disco fuscis mar» gine aureo-ciliato-fimbriatis, cilio supremo longiore; flosculis » neutris longissimis 4-5-fidis. » Nob. (Tab. XXII).

Descriptio.

Radix — (deest in specimine). *Caulis* erectus, elatus, teres, pennae corvinae crassitie sub flore paullo crassior, basi laevis hinc sentim sive sensu striatus, subsimplex. *Folia* radicalia desunt in specimine, caulina alterna, inferiora horizontalia, media patentia, superiora erecta, subsessilia seu vix basi in petiolum brevissimum subamplexicaulem decurrentia, omnia ad rachin usque pinnatisecta, laciniis rachisque lineares subaequales 3-4 lin. longae vix ½ latae suprema 2-3-longiore, margine subrevolutae, integerrimae, apice acutae, mucronulatae, glabrae, 1 nerviae. *Capitulum* terminale, solitarium, foliolis filiformibus anthodio brevioribus subinvolucratum, rotundato-ovatum, magnum sc. diam. pollicaris et ultra. *Anthodium* imbricatum squamis subaequalibus. *Squamae* ovatae 2 lin. longae 1 latae, adpressae, scariosae, lucidae, disco flavido-fuscae margine aureo-ciliato-fimbriatae cilio supremo 2-3-longiore, summae angustiores et longiores sub i colores ciliis lateralibus erectis ac valde brevioribus. *Flosculi* neutri radiantes, aurei, masculi ee longitudine pollicari et ultra, tubo limbum 4-5-fidum subaequante, limbi

laciniae inaequales latiusculae patentiusculae. *Flosculi* disci hermaphroditi, neutris breviores, sulphurei, 5-fidi, laciniis aequalibus erectis linearibus. *Antherae* latent tubo vix exserto. *Stylus* leviter 2-fidus stigmatibus erectis. Pappus setis ochroleucis basi violaceis, 3-lin longus, annulo caducus. *Semina* matura non vidi.

Obs. Pertinet ad I^am sect. (*anthodus inermibus*) et divisionem ββ (*squamis anthodii omnino scariosis fimbriatis*), et forsan collocanda inter *C. sibiricam* et *tataricam* sec. ordinem Sprengelii syst. III p. 400 n. 6169, a quibus tamen valde differt tum habitu cum aliis notis. Crescit, monente Berteroo, in collibus Chilensibus secus flumen *Cachapual* circa de *Cauquenes* et illam inter omnes indigenas formosissimam dicit cl. Auctor, atque addit ob insignem foliorum amaritiem sibi commendatam esse in permultis infirmitatibus.

EUPATORIUM

Linn. gen. n. 1272. Lam. ill. t. 672 (*Syngen. aequal. L.*; Corymbiferarum *genus sect. I. Juss.*, Eupatorieae *Cassin.*, Eupatorinae genuinae *Spr.*)

Duas pariter hujusce generis stirpes enumerat Berteroo in Merc. Chil. n. XIII p. 616 scilicet *E. chilense* et *E. laevigato* proximum. Primo nil commune habet cum planta Molin. ejusdem nominis quae procul dubio pertinet ad *Flaveriam Contrayervam* Pers., hinc nomen a Berteroo impositum servari potest. Altera affinis quidem videtur *E. laevigato* Lam., sed nonnullis praecipuis characteribus differt, uti ex nostra illustratione patefiet, ab indigenis *Salvia* vocatur. Proinde eodem nomine novam speciem inaugurare opportunum duxi.

LII.

1. *E. chilense* Berter. Merc. Chil. n. XIII p. 616. non Molin. (*Chili* in sylvaticis umbrosis collium *Valparaiso*). × Glaberrimum,

» caule (herbaceo?) tortuoso simpliciusculo violaceo, foliis oppo-
» sitis petiolatis late cordatis grosse-inaequaliter dentatis acuminatis,
» corymbis terminalibus laxe paniculatis, anthodii subsimplicis multi-
» flori squamis lineari-lanceolatis glabris patentiusculis (flosculi fla-
» vescentes) » Nob.

LIII.

2 *E Salvia* Nob. (*Chile* in sylvaticis collium *Valparaiso*) « Caule
» fruticoso erecto glabro subglutinoso, foliis oppositis brevi-petio-
» latis lanceolatis basi subcordatis acutis glabris subtus pallidioribus
» 3-nerviis reticulato-venosis rugulis, corymbis terminalibus axilla-
» ribusve trichotomo paniculatis, anthodii 3-striati multiflori squa-
» mis ovatis glabris mucronulatis (flosculi albescentes) » Nob.

Obs. Differt ab *E laevigato* Lam praesertim foliis *subcordatis* nec *utrinque* attenuatis, 1 non 3-nerviis, glabris equidem, sed venis reticulatis tam prominentibus instructis ut rugosa prorsus adpareant.

TERRANEA

Novissima planta inter *compositas* detecta fuit a Bertero mense martii 1830 in sylvaticis saxosis montium editiorum insulae *Juan Fernandez*, quam ipse primo intuitu, habitu forsan simpliciter inspecto, ad *Steviae* genus spectare dubitavit. Sed attento examini subiectis optimis speciminibus mihi communicatis, et ipsa cum *Stevia* aliisque generibus affinibus rite comparatis, vidi equidem inter *Eupatorinas* Cassin. et Spr. novam plantam esse collocandam, at permultis characteribus ab aliis generibus recedere, quod ex sequenti illustratione satis probatur

Descriptio

Radix deest in speciminibus sed ex caulis structura ac duritie perennem et lignosam iudico. *Caulis* fruticosus, solidus, rigidus, subtortuosus, teres, pennae anserinae crassitie, striatus, glaber, valde foliosus, parce ramosus. *Rami* sparsi, erecti, saepius versus apicem caulis subfasciculati. *Folia* sparsa, subconferta, nonnulla fasciculata praesertim ad apicem ramorum, alia erecta alia patentia, basi in petiolum attenuata, plus minusve anguste lanceolata, scilicet alia (caulina praesertim) 2-3-poll. longa, 2-3-lin. lata inaequaliter remote laciniata laciniis erectis vel patentibus acutis, alia (ramea praecipue) angustiora ac breviora, denticulata dentibus inaequalibus sed constanter uti laciniae acutissimis, alia demum (summa praesertim) minora fere linearia integerrima quorum nonnulla etiam occurrunt in caule et ramis prioribus intermixta; omnia acutissima, glaberrima, ac fere nitida, molliuscula, nervosa, venosa nervis venisque leviter rubescentibus, impunctata, plana, membranacea, inodora, insipida. *Panicula* terminalis, laxa, foliolosa. *Pedicelli* ad apicem ramorum paniculae saepius terni, filiformes, 2-5-lin. longi, subtus florem praesertim leviter villosiusculi caeterum glabri basi foliolis 2-3 filiformibus et fere capillaribus 1-2 lin. longis suffulti. *Capitulum* floris subhemisphaericum diametro vix pisi communis magnitudine. *Anthodium* simplex polyphyllum constans 15-20 squamis subaequalibus uniseriatis, lineari-lanceolatis, acuminatis vix 1 lin. longis, glabris, subcarinatis, concavis, patentiusculis, ex viridi lutescentibus (Tab. XXIII. f. 1. 2. 3). *Flosculi* numerosi, omnes tubulosi, hermaphroditi, ex sicco purpurascentes, tubo filiformi brevissime 3-5 fido. *Antherae* inclusae. *Stylus* vix exsertus ceterum uti in Eupatoriis (f. 5). *Receptaculum* convexum, nudum, scrobiculatum (f. 4). *Akenia* minutissima, oblonga, compressa, subquinquangularia apice truncata absque aristis sub-

simplicibus 15 circiter setaceis vix 2-lin. longis subaequalibus coronata (f. 6).

Obs. Constat ex allatis genus hoc collocandum esse in compositarum Trib. II.ª (*Eupatorinae genuinae* Spr. syst. III p. 355) et medium tenere inter genera primae sectionis (*pappo setaceo-piloso*) et tertiae (*pappo aristato*), aristae enim quibus akenia coronantur setaceae sunt. Habitu autem ludit inter *Ageratum* et *Steviam* cui magis accedit, sed differt reapse tum veris characteribus genericis, cum aliis notis quae constanter occurrunt in *Steviae* stirpibus. Et 1.° forma anthodii, cylindraceum in *Steviis*, *hemisphaericum* in nostro genere, 2.° squamarum numero eiusdem anthodii, *oligophyllum* in *Steviis* (frequentius squamis 5) *polyphyllum* in *Terranea*, 3.° receptaculo siquidem *nudo*, sed *scrobiculato*, 4.° pappi structura, duplex in *Stevia*, exterior paleaceus interior 1-5-aristatus, *subsimplex* in *Terranea* constans *pilis* potius quam veris *aristis* et numerosioribus (1), 5.° demum foliis in nostro genere impunctatis moderis insipidis, glanduloso-punctatis aromaticis in *Stevia*, uti ipse plures observavi et monet Cl. Kunth (syn. pl. aequin. vol. 2. p. 431). Genus hocce dixi in memoriam Laurentii Terranei qui tot tantasque stirpes pedemontanas celeberrimo Allionio nostro communicavit eiusque laudes concentus est in praefatione ad floram p. III.

---

(1) Aristae istae tenuissimae sub lente minus simplices et glaberrimae apparerent, non [illegible] plumosae: sed microscopio solari [illegible] [illegible] cum admiratione [illegible] [illegible] a basi ad apicem illas esse instructas [illegible] pilos [illegible] tenuiores [illegible] perspicere [illegible] [illegible] plus minus compositae [illegible] vero in corporibus nullam superficiem prorsus glaberrimam adesse? At in substantiis organicis [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] facile credibilem et saepius fallaces [illegible] [illegible] in scientiae detrimentum haberemus.

LIV.

TERRANEA

Nob. (*Syngen aequal* L. Compositae flosculosae *Tourn* Corymbiferae *I^{ae} sectionis Iuss gen* Eupatorinae genuinae *Cass Spr*).

Char essentialis genericus

» *Anthod* subhemisphaericum subaequale polyphyllum multiflo-
» rum. *Receptac* nudum scrobiculatum *Flosculi* omnes perfecti
» tubulosi *Akenia* 5-angulari-compressa. *Pappus* simplex multia-
» ristatus aristis setaceis subiumplicibus.

1 *T fernandezia* caule fruticoso, foliisque glaberrimis sparsis petiolatis lineari-lanceolatis laciniatis dentatisve vel subintegerrimis, panicula terminali laxa foliolosa, floribus pedicellatis, anthodii squamis lineari lanceolatis subscariosis patentiusculis, flosculis filiformibus = Nob. (Tab XXIII).

BIDENS

Linn. gen. ed Schreb n. 1267 *Spr syst n* 2705 *Lam ill t.* 668 (Corymbiferae *sect VI Iuss gen. p.* 188 Heliantheae Coreopsideae *Cassin.*)

Tres *Bidentis* stirpes enumerat Bertero in Merc Chil. n XIII. p 595, scilicet *B heliantheoideam* Kunth, *B sambucifoliam* Cav tertiam demum quam novam existimavit quin aliam, nisi patriae indicationem praebuerit de hac, cuius perfectissima misit archetypa, sermo hic erit.

LV.

» *E. valparadisiaca* foliis pinnatipartitis glabris subtus pallidiu-
» sculis, foliolis decurrenti pinnatifidis, laciniis ovatis inaequaliter
» sectis, segmentis mucronulatis supremo longiore, pedunculis co-
» rymbosis elongatis, involucro subnullo, floribus radiatis, akenas
» anthodii squamas laeves vix superantibus brevi-2-aristatis » Nob.
(Tab XXIV).

Descriptio.

Radix annua, valde ramosa, fibrosa, flavescens. *Caulis* solidus, adscendens, teres, pennam corvinae crassitie, 2-3-pollicaris, hinc in ramos per dichotomiam divisus. *Rami* divaricati, adscendentes, teretes, glabri, striati, geniculati, longitudine pedali et ultra, internodiis infimis vix pollicaribus hinc gradatim versus apicem longioribus *Folia* opposita, superiora quandoque alterna, patentia, petiolata, glabra, superne viridia inferne pallidiuscula, fere omnia pinnati-partita 5-iuga, summa quandoque simpliciter 3-loba vel 3-fida aut etiam (rarissime) subintegerrima. *Petiolus* communis seu rachis planiusculus, levissime striatus, basi subincrassatus, *foliola* ovato-oblonga, inferiore et extimum paullo maiora, basi in petiolum brevem decurrentia, plus minusve profunde pinnatifida, vel in foliis superioribus simpliciter dentata dentibus inaequalibus acutis, *laciniae* foliolorum ovatae inaequaliter sectae segmentis lanceolatis mucronulo molli terminatae, supremo valde longiore Ex foliorum axillis praesertim versus apicem ramorum exsurgunt *pedunculi* solitarii bini vel terni inaequales, corymbum laxum aemulantes, *Pedunculi* hi sunt glabri a 2 ad 4 pollices long, lineares, cretinaculi, striati, subaudi, rectis foliis 1-2 subintegris parvis sparsim instructi, constanter 1-flori. *Capitulum* florum ovato-subrotundum diam 2-3-lin, vix ac ne vix quidem involucratum foliolis tenuissimis. *Anthodium* simplex constans 10-12 squamis lineari lanceolatis, glabris,

nigrescentibus margine lateolo-subscarioso, persistentibus. *Flores* radiati, sc. *flosculi* disci numerosi, tubulosi, perfecti, 5-fidi, 1-lin. longi, lutei; radiales 5-6 ligulati, neutri, patentes, integerrimi, squamis anthodii alternatim oppositi, ovato-lanceolati, 2-lin. longi, 1 in medio lati, flavi lineis 5-6 saturatioribus longitudinaliter notati. *Receptaculum* planum, paleaceum paleis oblongis membranaceis fere anthodii squamis conformibus. *Akena* linearia, erecta, anthodium parum excedentia, compressiuscula, subangulata, apice truncata ibique aristis 2 aequalibus akenio duplo brevioribus coronata.

Obs. Pertinet ad secundum Cassini subgenus (*Kerneria* calatide coronata), et ad tertiam sectionem Spreng. (foliis pinnatis), et forsan collocanda inter *B. odoratam* Cav. et *bipinnatam* L., a quibus tamen differt non solum foliolorum structura sed praesertim floribus constanter *radiatis*, involucro *subnullo*, akenis *erectis* aristisque *brevioribus*. Crescit *Chili* in pascuis sylvaticis et ad ripas collium *Valparaiso*.

BACCHARIS

Linn. gen. ed Schreb. n. 1285. *Spr. syst.* n. 2722. *Lam. ill.* t. 698 (Corymbiferae *sect. I. Juss. gen.* 160. Asterideae *Cassin.*)

Baccharidis species nunc numerosissimae (99 ex Spr. syst. III. p. 459) et fere omnes americanae, perpaucis africanis vel asiaticis exceptis, non desunt in regionibus Chilensibus, immo abundant ibi. Cl. Bertero sex tantum ex istis enumeraverit in Merc. Chil. n. XIII. p. 590-591, sc. *B. glutinosa* Pers., *B. alaternoides* H. et B., *B. banksiaefolia* Bertero., *B. linearis* Pers., *B. montevidensis* Spr. et *B. chileo* Kunt. At notandum, citatum fasciculum lucem vidisse anno 1829, antea temporis quo strenuus ille peregrinator chilenses plagas salutavit. Aliarum stirpium, nec earum certe, archetypa postea misit, inter quas sequentes duas novissimas existimo, et illustratione dignissimas.

LVI.

» 1 *B. asteroides* Berter mod. Herbacea glabra, foliis alternis
» remotis lineari-lanceolatis in petiolum attenuatis basi incrassatis
» subamplexicaulibus integerrimis apice mucronulatis 1-nervis ve-
» nosis, corymbis terminalibus paniculatis, anthodii squamis lineari-
» lanceolatis membranaceis pappum album subaequantibus ». Nob.
(Tab. XXV. f. 1.)

Descriptio.

Radix ..... (deest in specimine) *Caulis* herbaceus? erectus,
subteres, striatus, glaber, subsimplex, 2 pedalis et ultra, pennae
anserinae crassitie. *Folia* alterna remota internodiis ambient 1-2-
pollicaribus, patentia, lineari-lanceolata, 2-3-poll. longa 2-3-lin.
circa medium lata, in petiolum attenuata, demum infima basi
magis dilatata ibique semi-amplexicaulia, margine integerrima,
apice acuta mucronulo molli brevissimo terminata, glabra, plana,
mollius cula, membranacea, 1-nervia, irregulariter venosa venis
plerumque necro parallelis. Supra medium caulis ex foliorum axillis
exsurgunt ramuli primum subsimplices 2-3-flori, hinc gradatim lon-
giores eo magis divisi corymbos alternos constituentes foliis parvis
forma tamen ceterorum sparsim instructi, ramuli superiores sunt
plerumque 2-3-chotomi, 2-3 flores brevi pedicellatos gerentes, unde
inflorescentia *corymbum terminalem paniculatum* dixi in diagnosi.
Unusquisque flos refert *anthodium* ovatum 1-½ lin. latum, 2 lon-
gum, subimbricatum constans sc. squamis duplici vel triplici or-
dine dispositis, inferioribus brevioribus, omnibus lineari lanceolatis,
acutissimis ac fere cuspidatis membranaceis, ex viridi rubescentibus,
flosculos 10-15 omnes tubulosos, erectos, subaequales, squamis
anthodii sub-breviores, quinquedentatos dentibus minutissimis, *ge-
nitalia* melius in sicco ob flosculorum tenuitatem observare satis
apta non potui, ut indicem utrum omnes fertiles sint, an herma-

phroditi cum foemineis mixti uti saepius occurrit in *Baccharidis* genere. *Receptaculum* subconvexum, parvum, nudum, minutissime alveolatum *Akenia* tenuissima fere cylindrica subangulata *Pappus* vix anthodii squamas excedens pilis simplicibus 10-15 scabriusculis Habitat *Chili* in pascuis *Rancagua*

LVII.

» *B confertifolia* Nob B. ? Berter ined « Frutescens glaberrima, foliis sessilibus confertissimis linearibus integerrimis vel » (rarius) subdenticulatis acutis planis 1-nervis, corymbis termi- » nalibus confertis, anthodii squamis ovatis scariosis pappum al- » bum subaequantibus » (Tab XXV *bis*).

Descriptio

Radix ...... (deest in specimine). *Caulis* fruticosus, erectus, rigidus, teres, laevis, ramulosus, fere digito minimo crassus, glaber, pellucido subviscosus *Folia* sessilia, confertissima, alia erecta alia patentia, linearia, longitudine valde inaequalia ab 1 ad 3 pollices circiter latitudine vix 1 lin, integerrima, longioribus quandoque remote et inaequaliter denticulatis, acuta, glabra, plana, rigidiuscula, 1-nervia. *Corymbi* terminales conferti composit, scilicet pedunculo communi brevissimo in ramulos plures diviso, ramulis coarctatis 5-10-floris, floribus filiformi pedicellatis. *Flores* minimi subcylindrici vix 1-lin. long ½ lat. *Anthodii* squamae imbricatae, triplici ordine dispositae, subaequales, ovatae, acutae, paleaceo-marcescenae. *Flosculi* multiplices, omnes tubulosi, erecti, subaequales, anthodii squamis sublongiores, tenuissime 5-dentati. *Genitalia* exserta, fertilia (an omnia?) *Receptaculum* planum, parvum, nudum, minutissime alveolatum *Akenia* et *pappus* ut in praecedente sed duplo triplove minora. Habitat *Chili* ad ripas fluminis *Concon* et vero *Chiquilla del Rio* appellatae

Obs. Habita a ceteris affinibus valde differt, quamvis accedere videatur ad *B. Chilensi* Kunth, et ad *linearifoliam* Pers., sed in primo, quae etiam crescit in *Chili*, folia sunt *obovato lanceolata*, in altera quae insulas *Mascarenas* inhabitat, flores subsessiles subspicati

GNAPHALIUM

Linn gen ed Schreb n 1282 exclusis paucis speciebus et inclusis nonnullis Filaginis *stirpibus Spr syst. n 2724 Gaertn fruct 2 t. 165 f 3* (*Singen superfl* L. Corymbiferae *sect I Juss gen p* 179. Gnaphalodeae *Scranck in bull univ* 1828 *avril p* 406).

Praeter tres *Gnaphalii* stirpes a Bertero enumeratas in Merc Chil. n XIV p 644, videlicet *Gn Viravira* Molin, *Gn chilense* Spr, *Gn cheiranthifolium* Lam, quas pro certis refert, septem alias asserit invenisse, quas indeterminatas reliquit, indicans tamen, duas *Gn pensylvanico* W esse affines, alias ludere inter *Gn. germanicum*, *minimum*, *pyramidatum* et *arvense*

Ad *Gn Viravira* quod spectat, video a Sprengelio tantummodo esse citatum, nec a recentioribus Botanicis inter synonyma enumeratum Cl Bertero medium tenere inter *Gn. luteoalbum* L, et *Gn. candicans* Kunth tradidit. At bene perpensis harum stirpium speciminibus quorum primo pedemontanas regiones inhabitat, et cum *Gn. Viravira* comparatis, nullam differentiam inveni inter hoc et *luteoalbum* si corymbos excipias in illo latiores nec mirum eandem speciem europaeam in America etiam inveniri, nam, monente Sprengelio syst. III p 474 n 99, crescit etiam in Ægypto, et recentissime Insulas Canarienses pariter colere tradidit de Buch (*Cat. des pl spont qui ont été jusqu'ici trouvées aux Iles Canaries* in Arch. bot tom I p 497). Ceterum a *Gn. candicante* Kunth in H et B pl aeq 4 p. 79 differt praecipue inflorescentia *nuda* nec *involucrata*

Circa *Gn. chilense* valde dubito plantam a BERTERO missam pertinere ad stirpem sub hoc nomine indicatam a SPRENGELIO syst. III p. 480 n. 168, folia enim non sunt *spathulata* nec *linearia*, sed *late ovata*, flores neutiquam in *corymbos glomeratos pedunculatos*, immo evidenter *spicati*; majorem adhuc affinitatem demonstrat cum *Gn. lanuginoso* KUNTH in H. et B. pl. aeq. 4. p. 84 a SPR. dubie citato pro *Gn. chilensis* synonymo. Itaque vel stirps Berteriana diversa, vel phrasis SPR. emendanda ut sequitur

LVIII.

Gn. chilense Spr. sec. Berter. Merc. Chil. n. XIV p. 644.
» Herbaceum adscendens ramosum lanuginosum, foliis alternis pe-
» tiolatis late ovatis obtusis, floribus glomeratis in spicam termi-
» nalem foliosam sessilibus, anthodii ovato squamis lanceolatis acutis
» subadpressis luteo-fuscis ». Nob. (Hab. in *Chili* locis rupestribus montosis).

LIX.

Gn. paniculatum Nob. Gn. ... ? Berter. msd. « Caule fruticuloso
» simpliciuscule oltissimo lanato-tomentoso, foliis alternis subam-
» plexicauli decurrentibus superne sericeis, inferne lanato-tomen-
» tosis, inferioribus ovato-lanceolatis, mediis lanceolato-ovatis,
» summis dilatatis apice cuspidatis, paniculo ramosissima, floribus
» secus ramos glomeratis ad apicem ramorum laxe corymbosis,
» anthodii subglobosi squamis ovato-lanceolatis acutis ». Nob. (Tab. XXVI).

Descriptio

Radix sublignosa perennis vel biennis ramosissima. *Caulis* suffruticosus, solidus, erectus, teres, laevis, albo-lanatus, a basi ad medium simplicissimus, hinc paniculatus, digiti minimi crassitie,

altitudinem 2. ped et ultra attingens. *Folia* omnia superne sericea tantum, inferne uti caulis et paniculae rami lana adpressa pilis intermixtis albo-tomentosa, alterna, basi subamplexicauli-decurrentia, inferiora patentiuscula ovato-lanceolata ac a basi ad medium 3 4-lin lata, hinc gradatim magis dilatata et fere spathulata, 2-3-poll longa, apice obtusiuscula, integerrima, plana, media subrecta, angustiora, acuta, summa subadpressa, gradatim minora basi dilatata apice cuspidata. Caulis dividitur circa medium in ramos plures *paniculam* amplissimam fastigiatam constituentes, rami hi, qui saepius subdividuntur, foliis gradatim semper minoribus exornantur, et flores gerunt axillares et terminales, priores sunt ramis arcte glomerati subsessiles, terminales autem in corymbum subcompositum latiusculum dispositi. *Capitula* subglobosa diam 3-4 lin. *Anthodii* squamae imbricatae, ovato-lanceolatae, patentiusculae, scariosae, nitidae, aureae. *Receptaculum* nudum tenuissime scrobiculatum. *Flosculi* omnes tubulosi minutissimi aequales perfecti, radiales foemineos, ut saepius occurrit in hoc genere, haud vidi. *Pappus* pilosus simplex brevissimus. *Achenia* minutissima nigrescentia.

Obs. Accedere videtur ad *Gn orientale* L. H elliff 402, sed differt praesertim statura valde *majori*, caule basi *simplicissimo* nec ramis *sterilibus* praedito, ac speciatim *panicula* fastigiata amplissima, qua ista primo facie ab omnibus congeneribus distinguitur, unde *paniculatum* illud salutavi, quin nomen specificum confusionem afferre posset cum altera stirpe Brac. eiusdem nominis, haec enim haud fuit a Botanicis admissa et pertinet ad *Gn notatum* Thb. sec. Spr. syst. III. 477 n. 139. Cultum in H Napol e seminibus missis a Bertero sine nomine specifico et lectis in saxosis apricis *Valparaiso*, servatur hyeme in frigidario, et floret secundo anno, ac raro diutius perdurat. Pulcherrima stirps ad ornamentum colenda praesertim ob paniculae magnitudinem et aureo florum colore, sed odor nauseabundus fere ut in *Gn foetido* L.

ONOSERIS

W. sp. n. 1440. *Spr. syst. n.* 2743. Atractylidis *sp. L.* (*Syngen. aeq. L.* Cinarocephalae *sect. I. Iuss.* Carduaceae Onoserideae *Kunth.* Perdicieae *Spr.*).

Onoseridis genus a W. statutum pro duobus *Atractylidis* stirpibus L. (W. sp. III. p. 1702. n. 1440) alius nonnullas adauctum fuit a cl. H. et B. (pl. aequin. IV. p. 7) et Spreng. (syst. III. p. 502) omnibus cum prioribus Americae calidioris incolis, unam ex istis, scilicet *O. hieracioides* (H. et B. l. c. t. 304) communem esse in regionibus chilensibus sub nomine vernaculo *Yerqualla* tradit Bertero (Merc. Chil. n. XVI. p. 737), alteram uti novissimam enumerat, et ex foliorum figura *linifolium* appellat, de utraque specimina misit, et quum posterior descriptione careat, de ipsa sermo hic erit.

Descriptio.

Radix annua fusiformis, 2. poll. longa, vix ac ne vix quidem in fibras tenuissimas divisa. *Caulis* erectus, teres, tenuissimus fere filiformis, 2-3 pollicaris, albidulentulus, circa medium in 2-3 ramos erectos divisus. *Folia* versus basim caulis sparsa confertiuscula, subinde opposita, subadpressa, sessilia, linearia fere filiformia, 2-3-lin. longa, integerrima, nitida, evenia, planiuscula. *Flores* in capitulo terminalia, solitaria, subsessilia, ovata diametro scilicet 2-lin., longitudine 3-lin. nec *subhemisphaerica* uti in charact. generico ex auctoribus. *Anthodium* tri-seriatum imbricatum, squamae plus minus ovato-oblongae, inferiores minores, mediae latiores, supremae angustiores longiores, omnes glaberrimae margine flaccido-subscariosae apice mucronulo tenuissimo terminatae nec *subulatae* uti in charactere generico ex auctoribus. *Flosculos* siccos ob eorum tenuitatem

rite definire non possum, creberrimi sunt, subaequales, leviter 2-labiati, nec radiales a discoideis videntur diversi. *Receptaculum* nudum foveolatum. *Akena* oblonga striata. *Pappus* sessilis pilosus.

Obs. Stirps haec ab omnibus congeneribus valde recedit non solum foliis, quae plerumque in hisce sunt plus minus oblongo-lanceolata saepius varie sinuata, ut sola *O. hyssopifolia* Klotz linearia, sed subtus albo-tomentosa, verum etiam ac praecipue anthodio *ovato* nec *subhemisphaerico*, squamis vix mucronulatis, nec *subulatis*. An ex hisce differentiis in fructificationis organis genus distinctum statuendum? Non audeo tum quia flosculos et germina rite determinare non potui, cum ex auctoritate Inventoris, qui stirpem inter *Onoserydes* annumeravit quamquam nullam adjecit probationem. Phrasis haec erit.

LX.

O. linifolia Berter. Merc. Chil. « Herbacea pumila erecta, foliis » subsparsis sessilibus linearibus nitidis integerrimis, floribus ter- » minalibus subsessilibus solitariis, anthodii ovati squamis oblongis » glaberrimis margine subscariosis brevissime mucronulatis ». Nob. (Tab. XXV. f. 2). (Habit. *Chili* locis petrosis secus *Chacapual*.)

CHAETANTHERA

R. et P. fl. peruv. p. 190. Spr. syst. n. 2745
Perdicii *spec. Vahl* (Perdicieae *Spr.*)

Genus hoc a ceteris *Labiatifloris* seu *Perdiceis* vix distinctum, et pro duabus tantum stirpibus a Flora Peruviana Auctoribus creatum (*Ch. ciliata* et *serrata*) tribus aliis adauctum fuit a cl. DC. et Spr., omnibus a *Chili* ad *Fretum Magellanicum* crescentibus. *Ch. chilensem* DC. et *ciliatam* R. et P. memorat Berterus in Merc. chil. n. XIII. p. 602, duasque alias nec determinatas nec descri-

ptas chilenses regiones colere addit. Inter specimina ab eodem missa, plantulam inveni dubie *Chaetantera* inscriptam sine nomine specifico, in hac sequentes praecipuas notas observavi.

Planta herbacea vix spithamaea undique glaberrima. Ex una radice *caules* plures (4 5) exsurgunt erectiusculi, filiformes, subsimplices, foliosi. *Folia* sunt alterna lineari-lanceolata 2-3-lin. longa ½, circa medium lata in petiolum attenuata, apice in denticulos 2-5 terminata, quandoque sed rarius summa praesertim integerrima. *Rami* a medio ad apicem subdividuntur in 2-3 ramulos uniflores fere ut in *Ch. ciliata* in qua auctores caules vel ramos *multifloros* dicunt, in ceteris stirpibus *uniflores*. *Anthodium* est subhemisphaericum squamis triplici serie, sed substantia ac colore diverso, scilicet exteriores membranaceae virides, mediae subscariosae violaceae, interiores supremae prorsus scariosae albido argenteae omnes apice subdenticulatae. *Flosculi* omnes subaequales adparent, ex qua nota forsan inter *Homoeantha* Bonpl. esset collocanda. At habitu, facie ceterisque characteribus a *Chaetantheris* non distinguitur, nec scio utrum allata differentia inter anthodii squamas in aliis congeneribus occurrat, ab Auctoribus haud notatur, et in *Ch. ciliata*, quam unice possideo praeter descriptam, non adparet. Satius igitur puto novam stirpem interim ad *Chaetantheras* referre. Differt autem a congeneribus characteribus allatis, et insuper a *Ch. chilensi* DC., cui magis accedere videtur, partibus omnibus *glaberrimis* nec *pilosiusculis*, ramis 2-3 nec 1-*floris*. Illam igitur Inventori dicando ita definio.

LXI.

Ch. Berteriana « Herbacea humilis glaberrima, foliis lineari-lan» ceolatis in petiolum attenuatis apice subdentatis, ramis 2-3-floris, » anthodii squamis apice subdenticulatis exterioribus membranaceis » interioribus subscariosis, flosculis omnibus aequalibus ». Nob. (Tab. XXVII f. 1) (Hab. Chili Rancagua).

CHABRÆA

DC ann. mus. vol 17 t. 5 Spr syst n. 2756
Perdicium spec. *Vahl, Thb.* (Perdiceae *Spr.*).

Genus facie *Senecionis*, evidenter tamen ad *Perdiceas* pertinens flosculis inspectis omnibus bilabiatis, et ab affinibus eiusdem sectionis satis distinctum flosculis radii faemineis ac valde maioribus, ita ut primo intuitu ad veras *radiatas* illud referres. Plurimas novissimas huiusce generis stirpes detexit Berterus, nonnullas propriis nominibus insignivit, scilicet *Ch. abbreviatam, elongatam, prenanthoideam, tenuiorem* et *viscidam* sine alia indicatione; ceteras dubias, generis etiam respectu, esse dixit, neque illas enumeravit, inter priores semina misit *Ch. prenanthoideae* tum alterius stirpis sub nomine *Ch. ramosioris*, quae enata non sunt, et sequentes exsiccatas

LXII.

1 *Ch. viscida* Berter in Merc Chil n. XXX. p. 601 (*Chili* prope *Tagua-Tagua*). « Caulescens erecta subsimplex, foliis late » lanceolatis in petiolum attenuatis subtus caulequem albo-lanatis viscido-glandulosis pinnatifidis, laciniis oblongis acutis subintegris » subaequalibus margine revolutis, floribus stricte foliose-paniculatis » Nos (Tab XXVII. f. 2)

LXIII.

2. *Ch. abbreviata* Berter. l. c (*Chili monte la Leona*). « Caulescens adscendens simplex foliis caulinis late lanceolatis utrinque » caulequе subtomentosis laciniatis laciniis inaequalibus rotundatis » obtusis glanduloso-denticulatis planis summis linearibus pinnatifidis, floribus stricte foliotoso-paniculatis » Nos.

Obs Valde priori affinis, sed praeter allatas differentias tota planta minus elata et mollior, pediculae rami magis distantes. Variat caule admodum abbreviato, foliis subamplexicaulibus subtus albidioribus, ad hanc varietatem refert Bertarus in schedis *Tridacem senecioidem* Hook exot. fl t. 101

LXIV.

3. *Ch. elongata* Berter l c. (*Chili*). « Caulescens erecta simpliciuscula undique glanduloso-pilosiuscula, foliis inferioribus » subamplexicaulibus lineari-lanceolatis inaequaliter serratis margine » revolutis, summis linearibus subintegerrimis, pedunculis axillaribus terminalibusque elongatis 1-floris » Nob.

Obs A prioribus recedit etiam facie, planta rigidior minus foliosa, folia duplo triplove breviora angustiora, inflorescentia simplex, flosculi radii ex sicco rubescentes, in prioribus flavidi.

LXV.

4. *Ch tenuior* Berter l. c. (*Chili monte la Leona*). « Caulescens pusilla filiformis villosiuscula, foliis linearibus pinnatifidis, » laciniis patentibus oblongis obtusiusculis integerrimis, panicula » laxa subaphylla pedicellis gracillimis nudis 1-2 floris » Nob

Obs. Omnium humilior, caulis vix pollicaris tenuissimus dividitur in ramos filiformes divergentes 1-2-pollicares vix inferna foliolosos paniculam laxam constituentes, ex ramulis surgunt per dichotomiam pedicelli gracillimi nudi saepius 1, rarissime 2-flori, flores duplo minores quam in praecedentibus, flosculi radii ex sicco flavescente

TRIPTILION.

R et P Prod p 102 *t* 20 *DC ann. mens hist nat* 19 *p* 67 *Spr syst. n.* 2758 (*Syngen. aequal*: *W* Carduaceos Barnadesiae *Kunth* Perdicieae *Spr*)

Genus hoc primum e Florae Peruvianae Auctoribus statutum pro una tantum stirpe chilensi (*Tr spinosum* R et P syst. veg p 185 *Tr. laciniatum* W sp III p 1626 (ad *Cicoraceas* pertinere censuerat Cl Poir. dict. 8 p. 115. forsan errore ductus corollularum forma quae exsiccatae et compressae *semiflosculosae* adparent, ut docebat W. l. c. in observat , sed reapse sunt tubulosae 2-labiatae labiis longitudine subaequali superiore 3-fido, inferiore integro, quaneta, antheris bisetosis, et habitu saltem ad veras *Perdiceas* amandandum auctoritate etiam recentiorum Botanicorum existimo Postmodum aliae eiusdem generis stirpes in regionibus Chilensibus inventae fuerunt et a Cl Lagas. et Don enumeratae (Spr. syst III p 506 = Don in bull univ 1831 p. 41). Demum sequentem novissimam detexit Berterus nobisque siccam communicavit

LXVI.

Tr euphrasioides Berter mss (*Chil Tagua-Tagua*) « Herbaceum humile subramosum glanduloso-pilosiusculum , foliis alternis sessilibus ovatis pinnatifidis, laciniis linearibus obtusiusculis, » floribus terminalibus congestis, flosculis bicoloribus » Nob

Descriptio

Plantula facie *Euphrasiae officinalis* vix palmaris, saepius simplicissima, quandoque circa medium in ramulos divisa, tota pilis tenuissimis creberrimisque apice glandulosis vix oculis nudis conspi-

cois adspersa. *Radix* annua filiformis simpliciuscula 2-3 lin. profunda. *Caulis* erectus, teres, tenuissimus. *Rami*, quando extant, alterni, approximati, stricti, simplicissimi, subfastigiati, filiformes, foliosi. *Folia* alterna, inferiora approximata superiora progressu distantiora, crassiuscula, sessilia, ovata, 1 lin. lata 1 ½ longa, impari-pinnatifida, laciniis 7-9 palmatim dispositis linearibus subconcavis obtusiusculis. *Flores* 3-5 raro plures terminales in capitulum subglobosum diam. 3-4 lin. arcte congesti. *Anthodium* sub-campanulatum constans squamulis numero indeterminatis (5-10) lineari-lanceolatis acutissimis *membranaceis*, subaequalibus, villosiusculis; ad basim anthodii saepius adparent bracteolae nonnullae foliorum forma, sed valde minores. *Receptaculum* minutum villosiusculum. *Flosculi* omnes hermaphroditi 2-labiati 1 lin. longi, tubus brevissimus: labium superius inferiore duplo longius ovatum subplanum apice tenuissime 3-dentatum albidum, inferius convexum integrum lineolam. *Antherae* lineares basi 2-aristatae. *Akenia* minutissima compresso-trigona paleis lacinibus albidissimis flosculis parum longioribus apice lacinato-plumosis coronata.

4

ERIGERON

Lin gen. ed. Schreb. n. 1287 excl. paucis speciebus. Spr. syst. n. 2760. Lam. ill. t. 681. (Syngen. superfl. L., *Corymbif. sect. 2 Juss.*, Radiatae genuinae *Spr.*, Astereae *Kunth.*)

Quatuor *Erigeronis* stirpes memorat Bertero in Merc. Chil. n. XIII p. 615, inter quas unam asserit novam esse, de hac tamen neque nomen nec aliam minimam tradit indicationem. Forsan est eadem ac illa quam mihi sine nomine specifico exsiccatam abunde communicavit, quaeque reapse ab omnibus mihi cognitis valde recedit. De illa igitur vobis praebeo sequentem illustrationem.

Descriptio

Radix deest in specimine. *Caulis*, monente Auctore in scheda, basi suffruticosus, erectus, teres leviter 8-striatus lineis rubescentibus glaberrimus sulcis griseis, villis tenuissimis albicantibus hinc inde rare adspersus, versus apicem ramosus. *Folia* alternatim fasciculata seu inferiora 2-3 superiora 4-7 ex eodem puncto prodeuntia, patentia, inaequalia, lineari-lanceolata versus basim in petiolum attenuata hinc gradatim latiora et fere spathulata, obtusiuscula, utrinque glabra, margine denticulis minimis tenuissime ciliatis praedita. *Caulis* dividitur supra medium in ramos erectos paniculam foliosam amplam compositam constituentes, ad apicem ramulorum exsurgunt pedicelli 3-4 lineares inaequales nudi vel foliis 1-2 minimis instructi. Florum *capitula* sub sphaerica diam. 2-3 lin. *Anthodium* polyphyllum sub-imbricatum, squamis linearibus obtusiusculis subaequalibus 2 lin. longis ciliis tenuissimis superne conspersis. *Rece-*

ptaculum nudum minutissime foveolatum. *Flosculi* omnes subaequales et aeque fertiles anthodio parum longiores unicolores (ex sicco flavidi), radii foeminei ligulati lineares creberrimi, disci hermaphroditi tubulosi leviter 5-fidi, *antherae* inclusae, *stylus* vix exsertus, *akenia* minutissima oblonga parum compressa. *Pappus* constans pilis paucis (4 6) simplicibus albis flosculos subaequantibus.

LXVII.

E. fasciculatus Nob. *E.* . . . ? Berter. msd. « Basi suffruticosus « elatus villosiusculus, foliis fasciculatis lineari-spathulato-lanceolatis « utrinque glabris margine denticulato-ciliatis, panicula ramosissi- « ma subcomposita, ramulis apice subcorymbosis, anthodii squa- « mis linearibus obtusiusculis ciliatis, flosculis omnibus subaequa- « libus, pappo oligotricho ». Nob.

Ous Species distinctissima ex characteribus allatis et praesertim foliis fasciculatis, unde nomen specificum desumsi, detecta a Bertereo mense augusti 1830 in *Chili* locis sylvaticis collium *Valparaiso*.

DANAA

(*Syngen aequal Senecioneae?*)

Planta de qua agimus communicata fuit a Berteo sub nomine *Cinerariae* cum dubitationis signo et sine alia indicatione in scheda. Enumerat equidem el Auctor in Merc. Chil. n. XIII p. 605. duas *Cinerariae* stirpes quas fruticosas dicit, et quarum prima habitat in montanis, folia gerit glabra, et vulgo *Yegua* appellatur, altera crescit secus *Chacapual*, de utraque autem addit ipse *y parece que debea pertenecer à otro jenero* Planta nostra ex patriae indicatione et foliorum comparatione ad *Yeguam* potius spectare dicenda, nec perperam praecunctavisse Berteroum novum genus constituere posse sequens illustratio demonstrat. Illud autem memorasse

et Profota. Dana dicandum duxi quum genus ab Allionio sub eodem nomine statutum neutiquam receptum fuerit et ad *Physospermum* amandatum (1)

Descriptio

Radix desideratur in specimine. *Caulis* fruticosus, inanis, flexuosus, tereiusculus, foliatus, striatus, glanduloso-pilosiusculus seu pilis tenuissimis glandulosis viscosis rufescentibus obductus, ramosus. *Folia* alterna, remotiuscula, sub-patentia, rigidiuscula, petiolata, ovata longitudine sine petiolo pollicari et ultra latitudine semi-pollicari, integra, cartilagineo-dentata, glabra, nervosa nervo medio subtus valde prominulo ac pilosiusculo, reticulato-venosa, sub-lacunosa, plana, sub-coriacea. *Petiolus* brevis ac 2-3-lin., profunde canaliculatus, basi incrassatus, leviter uti caulis striatus ac lana potius albida quam pilis rubiginosis adspersus, lana haec, quae in nervum medium tamquam petioli continuatio producitur, gradatim obsolescit inde prorsus evanescit. Caulem ac ramos terminant ampla *panicula* pyramidata, composita, foliosa, altitudine dodrantali et ultra; eiusdem rami sunt erecti, lineares, glanduloso-viscosi, ultra medium corymbosi, ad insertionem ramulorum 2-4-flores pedicellatos gerentium extat foliolum lineari-lanceolatum acutum 2-3-lin. longum bracteae vicem gerens; *pedunculi* proprii seu pedicelli sunt 1-flori inaequales ac ab 1 ad 3-lin. longi, basi foliolo minimo filiformi vix 1/2 lin. longo bracteolati, quandoque, praesertim pedicelli longiores, 2-3 foliolis similibus alternis instructi adparent. *Capitulum* florum sub-hemisphaericum diam. 2-lin. circiter. *Anthodium* simplex basi prorsus nudum nec involucratum nec bracteatum, constans squamis foliaceis 10-15 circiter subaequalibus, linearibus, planiusculis, glabris, adpressis, obtusiusculis,

(1) Cand. Syn. pl. I. 659 et DC. Prodr. IV. p. 246.

apice fusco maculatis (Tab. XXVIII f. 1 2). *Flosculi* radii obsoleti vel nulli, disci numerosi, anthodii squamas subaequantes, tubulosi, lineares, circa medium ventriculosi, apice fere clausi ac subintegri (f. 4). *Genitalia* inclusa. *Receptaculum* nudum (f. 3). *Akenia* sessilia, minutissima, oblongo-compressiuscula, laevia, *pappo* piloso simplici sessili flosculorum longitudine albo-argenteo coronata (f. 5 6).

Obs. Ex hisce fieri genus hoc medium tenere inter *Cinerariam* et *Senecionem*, a prima differre anthodio reapse *polyphyllo* nec simpliciter *multipartito*, squamis linearibus apice *maculatis* qua nota magis accederet ad *Senecionem* si involucrum anthodii basi omnino non deesset. Praeterea habitu proprio prima facie distinguitur. Utrum ad *Seneciones* Cassin sit illud referendum haud dubitarem, ni akenia prorsus *sessilia* nec *pedicellulata* ac *compressiuscula* et *laevia*, nec *cylindracea lineata* adessent. Nonne levissimi hi characteres parum faciendi, quum ceteri essentiales et praecipue habitus concurrant?

Char. essentialis generis.

» *Anthod.* simplex polyphyllum subaequale basi nudum, squamis » linearibus apice maculatis. *Recept.* nudum. *Flosculi* radii obsoleti, » disci apice subclausi subintegerrimi. *Genitalia* inclusa. *Akenia* » sessilia compressiuscula laevia. *Pappus* pilosus simplex ».

LXVIII.

» *D. Yegua* caule fruticoso rufescenti-glanduloso, foliis alternis » petiolatis ovatis glabris subcoriaceis serratis, panicula pyramidali » subfoliosa, ramis corymbosis, pedicellis 1-floris bracteolatis ». Nob. Hab. *Chili* monte *la Leona* (Tab. XXVIII).

linearibus, aequalibus, acutiusculis, anthodio dimidio brevioribus, valde adpressis, minus quam ceterae partes tomentosis, *anthodium* constans squamis plurimis lineari-lanceolatis adpressis etiam post anthesim, extus albo-tomentosis (Tab XXIV f 2 dextrorsum), intus glaberrimis nitidis flavescentibus, superne angustatis, apice macula minima nigrescente sphacelatis (fig sinistrors.) *Receptaculum* nudum scrobiculatum (f 2 dextrorsum) *Corollulae* radii foemineae, disci hermaphroditae, omnes aeque fertiles. *Radii* 10-15 tubo filiformi 2-lin. longo erecto, ligula ovato-lanceolata 1-lin ½ lata, 2-3-longa integerrima patentissima flava *Stylus* profunde 2-partitus arcuatus ex tubo parum exsertus, stigmatibus truncatis semi-orbiculatis pilis minutissimis adspersis (*Collecteurs piliformes* Cassin). *Flosculi* disci numerosissimi, tubulosi, filiformes, tubum radiorum vix superantes, apice 5-fidi flavi *Stamina* inclusa *Stylus* exsertus ut in foemineis *Achenia* subcompressa linearia 10-lineata truncata nigrescentia, pappo piloso simplici albo-argenteo corollularum tubum subaequante coronata.

Obs. Ad *Senecionis* nec ad *Cacaliae* genus, uti dubitaverat Balbisius, plantam hanc pertinere suadent praecipue *calyculi* praesentia, receptaculum *nudum*, et anthodii squamae apice *sphacelatae*, sed species ab omnibus distinctissima, et collocanda in prima sectione Sprengelii (*genuini radiati*), divisione prima (*radio patente*), subdivisione β (*floribus subsolitariis*), a ceteris tamen eiusdem subdivisionis valde diversa, praesertim habitu, et tomento, quo undique tegitur Facies *Gnaphalii* sed flores *Senecionis*

LXIX.

» *S. linearifolius* suffruticosus caespitosus undique argenteo-to» mentosus, foliis omnibus linearibus integerrimis obtusiusculis, in» ferioribus confertis, mediis sparsis, summis alternis distantibus » minimis, caule erecto substriato 1-floro, calyculo anthodioque » squamis adpressis, radio amplo patentissimo » Nob (Tab XXIX).

LXX.

2. *S. plantagineus* Berter. ined. (*Chili*) « Herbaceus, foliis ra-
» dicalibus petiolatis ovato-lanceolatis subdentatis glaberrimis 5-7-
» nerviis, caulinis sessilibus lineari-lanceolatis parcis, caule erecto
» striato altissimo 2-3-cephalo, pedunculis 1-floris subsquamosis,
» calyculo subreflexo, radio patente ». Nob.

Obs. Pertinet ad sectionem I.^m, divisionem *A*, subdivisionem ✠✠.
Affinis *S. Doronico* L., sed differt praesertim caule 2-3-cephalo,
floribus 2-3-minoribus, radio luteolo. Herba facie *Plantaginis*.

LXXI.

3. *S. Berterianus* Nob. S. .... sp. n. Berter. in scheda. (In
fruticetis maritimis *Chili*). « Fruticosus glaberrimus, foliis omnibus
» amplexicaulibus subtus pallidioribus, caulinis ovato-oblongis lyrato-
» pinnatifidis laciniis oblongis decurrentibus inaequaliter rotundato-
» sinuatis, summis lineari-lanceolatis subintegerrimis basi dilatato-
» cordatis, caule erecto laeviusculo ramoso, panicula terminali
» corymbosa, calyculo brevissimo, anthodii squamis acutis, radio
» patentiusculo ». Nob.

Obs. Collocandus in sectione et divisione praecedentis, subdivi-
sione ✠ †† prope *S. quercifolium* Tre. Prodr. 158. cui equidem
affinis, sed ex diagnosi differt praesertim foliis subtus vix *pallidio-
ribus* nec *tomentosis*, panicula *corymbosa* nec *simplici*, flores me-
diocres lutei.

LXXII.

4. *S. valparadisiacus* Nob. S. .... sp. n. Berter. in scheda. (In
fruticetis maritimis prope *Valparaiso* loco dicto *la Playa ancha*.)
« Fruticosus glaberrimus, foliis omnibus amplexicaulibus utrinque

» viridibus oblongis pinnati-partitis, laciniis lanceolatis denticulatis,
» caule erecto striato ramoso, panicula terminali subsimplici, ca-
» lyculo brevissimo, anthodii squamis obtusis, radio patentiuscule »
Nob.

Obs Priori valde accedit, sed praeter allatas differentias, planta undique minor, exceptis florum radiis amplioribus.

LXXIII.

5 *S viscosissimus* Nob. S...... an sp. n.? Berter in scheda
(in fruticetis siccis collium *Valparaiso* loco dicto *la Posta*)
» Fruticulosus undique glanduloso-viscosissimus, foliis omnibus pe-
» tiolatis utrinque viridibus oblongis pinnati partitis, laciniis linea-
» ribus subintegerrimis patentibus, caule erecto laevi simpliciusculo,
» pedunculis 2-3 terminalibus 1-floris subnudis, calyculo subnullo,
» anthodii squamis acutissimis, radio patente ».

Obs Statura praecedenti duplo minor, radii angustiores.

LXXIV.

6. *S cinereus* Nob. S...... an sp n ? Berter in scheda (*Chili*).
» Herbaceus erectus apice ramosus undique cinerascens, foliis om-
» nibus petiolatis oblongis pinnati-partitis laciniis linearibus distan-
» tibus subintegerrimis erectiusculis, caule erecto laevi, panicula
» terminali corymbosa, calyculo oligophyllo, anthodii cylindrici
» squamis adpressissimis immaculatis, radio brevi patentiusculo »
Nob

Obs Herba facie *Cinerariae* sed calyculi praesentia potius ad *Senecionem* referenda, etsi anthodium haud sphacelatum: flores parvi lutei.

γ

TAGETES

Lin gen ed Schreb n 1302 *Spr syst* n 2781 *Lam ill t* 684 (Syngen superfl. *L*, Corymbif. *sect* 2 *Juss*, Tagetineae *Cassin*, Radiatae genuinae *Spr*).

Plures huiusce generis stirpes crescunt in *Chili* quas videre est penes Auctores Sequens novissima ac habitu etiam a ceteris recedens a BERTERO detecta *Rancagua* ac nudo nomine ab ipso donata, illustrationem meretur, quam Botanicis offero.

Descriptio

Radix (annua?) fusiformis profunde tenuis vix fibris nonnullis filiformibus instructa *Caulis* herbaceus, debilis, sub-procumbens, graminiformis, geniculatus internodiis 1-2-pollicaribus, teres, glaber, leviter striatus, linearis, pedalis, simplex, versus apicem tantum plerumque dichotomus *Folia* opposita, remota, patentia, simplicia, prorsus linearia, pollicem longa ½ lin vix lata, basi arcte per lin 1-2 amplexicaulia, obtusiuscula, glaberrima, integerrima, plana, molliuscula, glandulis (quibus in ceteris stirpibus plus minusve instructa sunt) destituta adparent Versus apicem caulis duo extolluntur *rami* filiformes 2-3 pollicares ultra medium 2 foliis caulinis duplo brevioribus tantum instructi pedunculos 1-floros constituentes *Flos* solitarius refert *anthodium* simplex, tubulosum, subturbinatum, 2-lin longum 1-superne latum, 5-angulosum, 5-dentatum dentibus maturitate nigrescentibus basi dilatatis apice acutis, extus ad basim praesertim cum extrema pedunculi incrassata parte villis rarissimis albis praeditum, *receptaculum* nudum, scrobiculatum, *flosculos* radii obsoletos, immo nullos, disci paucos (7-10), flavos, vix anthodii dentes superantes, tubo filiformi, limbo brevi ventricoso 5-fido, *stam.* incluso, *stylum* acuato-

a foliis exsertum (Tab. XXX. f. 1); *Akenia* lineari-subprismatica, sessilia, maturitate longitudine anthodii, glaberrima, pellucido-caerulea aristis 5-7 inaequalibus brevibus coronata (f. 2).

Ons Herba faciem graminis praesefert et ideo a congeneribus habitu omnino recedit, glandulis pellucidis quibus odore et sapore scatent, omnino carere stirpem nostram existimo; praeterquamquod enim oculis armatis illas cernere mihi datum non fuit, insipidam prorsus in singulis partibus illam inveni.

LXXV.

T. Feuillei Berter. msd. « Gracillima procumbens simpliciuscula » apice dichotoma, foliis oppositis amplexicaulibus distantibus li- » nearibus integerrimis obtusiusculis eglandulosis, pedunculis ter- » minalibus 1-floris, anthodio turbinato, radiis obsoletis ». Nos (Tab. XXX).

DIOMEDEA

Cassin., *Kunth pl. aequin. IV. p.* 213 *Spr. syst. n.* 2827. Buphtalmi et Helianthi *spec. quorundam* (Syngen. superfl. *L.*, Radiatae genuinae *Spr.*, Helianthoae *Kunth*).

Genus hoc a cl. Cassini statutum pro solo *Buphtalmo frutescente* L. (*Diomedea bidentata* Cassin.), hinc duabus aliis stirpibus pariter ad *Buphtalmum* pertinentibus a strenuissimo Kunth eduectum, modo quartam laudat speciem iam a Molina inter *Helianthos* enumeratam (*Helianthus thurifer*), a recentioribus Botanicis omissam, descriptione carentem, ac rite a Bertero fructificationis organis inspectis ad *Diomedeam* amandatam. Perfectissima possideo specimina tum spontanea ex fruticetis apricis collium *Valparaiso* ubi lecta a laudato Bertero anno 1830, cum ex horto Ripol. enata e seminibus ab eodem humaniter communicatis; propterea sequentem illustrationem vobis tradere mihi praestat.

Descriptio

Radix lignosa valde ramosa. *Caulis* fruticosus, solidus, erectiusculus, subflexuosus, teres, 1-2-pedalis, digiti minimi crassitie, simpliciusculus, striatus, glaber, versus apicem glutinosus. *Folia* alterna remotiuscula, erectiuscula, brevissime petiolata, elliptica, 2-poll. longa circa medium vix 1 lata, basi integerrima e medio ad apicem sinuato-dentata sinubus inaequalibus saepius acutis quandoque obtusis nonnullis rotundatis, apice acuta, summa minora subintegerrima, nitida, juniora praesertim glutinosa, omnia nervosa se nervo medio valde prominulo lateralibus alternis parallelis arcuatis minimis, reticulato-venosa, plana, subcoriacea, persistentia. *Petiolus* vix 1-lin. longus planus basi incrassatus ibique et margine fusco-glutinosus, versus apicem caulis exsurgunt *pedunculi* 4-6 in axillis foliorum solitarii, inferiores longiores, hinc gradatim breviores ita ut inflorescentiam fastigiato-subcorymbosam reddant, singuli pedunculi sunt lineares, teretes, leviter striati glanduloso-glutinosi maxime apicem versus, 1-flori. Unusquisque *flos* magnus expansione scilicet pollicari et ultra constat *anthodio* hemisphaerico polyphyllo imbricato, squamis lanceolatis 3-lin longis 1 latis fuscis glanduloso-glutinosis uti pedunculorum apices, *receptaculo* plano paleaceo paleis lineari-lanceolatis discos subaequantibus (Tab. XXXI f. 1), *flosculis* disci numerosis tubulosis 5-fidis hermaphroditis flavescentibus, *staminibus* synanthereis styloque 2-fido inclusis (f. 3), *radius* ligulatis foemineis patentissimis lineari lanceolatis 5-6-lin. longis 1 latis apice retusis flavis lineis longitudinalibus saturatioribus notatis aeque fertilibus, *akenus* cuneatis compresso-angulatis subnudis, scilicet disci denticulis coronatis (f. 4), radii edentulis (f. 5), qua nota praecipue genus hoc ab affinibus distinguitur

Obs. Frutex elegantissimus facie *Helianthi* potius quam *Diomedeae*, cujus stirpes modo cognitae folia gerunt opposita, pedunculos

terminales solitarios, floresque minores, cultus in holla et tepidario hyeme repositus laete floret tertio vel quarto anno martio, aprili Vulgo ab indigenis *Maravilla del Campo* appellatur

LXXVI.

D. thurifera Berter med « Caule fruticoso erecto simplici, foliis » alternis ellipticis nitidis superne sinuato-dentatis, floribus co- » rymbosis » Nob (Tab XXXI)

UNXIA.

Lin. f gen. ed Schreb n. 1288 *Spr syst. n.* 2858. (Syngen frustr *W*, Corymbif. *sect.* 5 *Juss.*, Helianthese *Kunt.*).

Novissimam et distinctissimam *Unxiae* stirpem detexit Bertero in regionibus chilensibus anno 1830, quam *anthemifoliam* appellavit in schedis speciminum, semina quoque misit, sed enata non sunt.

Descriptio

Radix annua, ramosa fibris capillaribus *Caulis* herbaceus, erectus, teres, leviter striatus, inferne glaber superne villosiusculus ibique paniculato-ramosus, linearis altitudine vix spithamea (in typo). *Rami* alterni sparsive erectiusculi debiles filiformes *Folia* alterna, remotiuscula, petiolata, linearia, supra medium pinnata pinnis linearibus subaequalibus obtusiusculis integerrimis, glabra, plana, subcarnosa *Petiolus* (seu folium infra pinnas in petiolum attenuatum) linearis, planus, basi incrassatus semivaginans *Flores* solitarii pedunculati *Pedunculi* plures sparsi versus apicem ramorum paniculam foliolosam cum ramis constituentes, filiformes villosiusculi longitudine inaequali *Flos* singulus subhemisphaericus magnitudine circiter pisi communis constat *anthodio* pentaphyllo (in typo)

squamis aequalibus ovatis villosiusculis membranaceis acutis in typo (Tab XXXII f 1. 3) corollulis radii parum brevioribus, *flosculis* disci tubulosis, masculis cum hermaphroditis quandoque intermixtis sed omnibus sterilibus, brevissimis, flavis; radiis 5 (in typo) anthodii squamas alternantibus easque paullo longioribus, ovatis, fertilibus, flavis (f 1), *receptaculo* nudo planiusculo, *akenus* ovato-oblongis ⅓ lin longis ⅛ latis (f 4), levissime 5-costatis, aequalibus, rubicundis, glandulis tenuissimis lente tantum conspicuis supra costas crebrioribus conspersis (f 2 5), apice prorsus calvis, unde pappus reapse nullus

LXXVII.

U anthemifolia Berter. msd. « Caule humillimo glabro superne » paniculato ramoso villosiusculo, foliis alternis petiolatis subvagi» nantibus superne pinnatis pinnis linearibus, pedunculis sparsis » subcorymbosis anthodiique squamis villosiusculis, radio sub-5-floro» Nob. (Tab XXXII)

Obs. Variat statura duplo majori, anthodii squamis numerosioribus (8-10) obtusis, radiis pariter (8-10). Typus crescit in pascuis sterilibus maritimis *Valparaiso*, varietas in pascuis humidis planitiei loco dicto *las Tablas*

HYPOCHÆRIS

Linn gen. ed. Schreb n 1246. Spr syst n 2898 Lam. ill t 656. (Syngen aeq *L.*, Cichoraceae *sect* 4 *Juss*, Cichoreae *Spr*, Lactuceae *Cassin*).

Binas *Hypochaeridis* stirpes chilenses memorat Bertero in Merc Chil n XIV p 649, quarum alteram ad *H sonchoidean* Kunth pertinere existimat, et rite, semina enim sub hoc nomine ab Auctore communicata et in h Regal sata plantas praebuerunt omnino

consonas laudatae stirpi, cuius iconem habemus in H. et B. pl. aequin. vol. IV. p. 2 t. 301.

Alteram vero non definivit, atque indicavit tantummodo caule ramoso floribusque minoribus differre et prata arenosa potius quam collium rupes incolere, de hac, quam novam existimo et inventori dico, sermo hic erit.

Descriptio

Radix perennis fibrosa ramosa. *Caulis* herbaceus, erectus, teres, foliatus, tenuissime striatus, pilis raris simplicibus cum aliis 2-3-furcatis commixtis adspersus, sursum ramosus s. ramis 2-3 instructus, pennae anserinae crassitie, altitudine 1-2-pedali. *Folia* oblonga, radicalia in petiolum plerumque attenuata superne circa medium latiora hinc angustiora demum acuta immo nonnulla acuminata, subconfluentia, longitudine inaequali, raro subintegra saepius subsinuato-dentata more generis, numquam vero reapse pinnatifida, glabra, sublacunosa, costa media utrinque subtus praesertim pilis crebris plerumque simplicibus hispidula, caulina alterna, semiamplexicaulia, breviora, ceterum radicalibus similiora, summa lineari-lanceolata, integerrima. *Pedunculi* nodusculi, apice subincrassati ibique fabelo unico squami-formi instructi, uniflori. *Capitulum* eratum diametro semipollicari. *Anthodium* imbricatum duplici vel triplici serie; *squamae* lanceolatae 2-3-lin. longae ½ latae, obtusiusculae, adpressae, pilis brevibus crebris subsimplicibus hispidae, disco membranaceae saturate virides margine albo-scariosae. *Receptaculum* leviter paleaceum. *Corollulae* semiflosculosae, radiales squamis anthodii duplo longiores patentiusculae, disci dae squamas subsequentes erectae angustiores, omnes flavae. *Genitalia* de more ordinis. *Pappus* radii sessilis (Tab. XXXIII. f. 1. 2), disci substipitatus (f. 3), tenuissime plumosus at oculis nudis potius setaceus adparet. *Akena* truncata levissime longitudinaliter striata (f. 2. 3).

LXXVIII.

H. Berteri Nob. H......? Berter. msc. « Caule erecto ramoso » foliosa pubescente, foliis oblongis acutis subsinuato-dentatis glabris costa media utrinque pilis simplicibus hispidula, pedunculis » apice subincrassatis 1-floris, anthodii squamis lanceolatis hispidis » margine albo-scariosis, pappo substipitato tenuissime plumoso » Nob. (Tab. XXXIII).

Culta in h. Ripul. ex seminibus missis e *Chili* a Berterio 1830. Videtur affinis *H. arenariae* Gaudich. fl. de Malouin. et Spr. c. p. 305 sed ex diagnosi Auctorum stirps nostra differt praesertim foliis vix *sinuato-dentatis* nec *pinnatifidis*, aliisque notis supra indicatis.

BELLARDIA

Colla non All. nec W. (Syngen. aequal. Cichoreae).

Formosissimam plantulam directe accepi a Berterio lectam *Chili* in monte *la Leona* et missam pro nova *Krigiae* stirpe sub nomine *pusillae*. In schedis ejusdem speciei missis a cl. Gaudichaud quam hic pariter a Berterio habuerat, addebatur cum dubitationis signo nomen *Grahamiae aromaticae*. Equidem in Merc. Chil. n. XIV. p. 651 *Krigiae* genus memoraverat strenuissimus Peregrinator noster pro parvula planta ad *Cichoracearum* tribum pertinentem, addens tamen ejus characteres genericos aliquantum differre a vera *Krigia* Schreberi, ibique sibi proponebat *Kr. chilensem* illam appellare. Nescio utrum stirps de qua agitur eadem sit, quum aliud referat nomen triviale, sed de *Kr. chilensi* Berterius siluit in posterum, nec inter plantas ab ipso missas invenitur.

Ad trutinam igitur diligentissime revocatis singulis novae stirpis fructificationis organis, persuasum mihi neque ad *Krigiam* reapse

pertinere, nec ad *Grahamiam* ullomodo spectare posse, novumque singularissimum, habita etiam propria inspecta, genus constituere, quod dixi in memoriam cl. BELLARDI (1) et sequenti ratione illustrandum duxi.

Descriptio

Herba pumila digitalis undique glabriuscula glaucescens *Radix* (annua?) fusiformis parce ramoso-fibrosa, rugosa, ad caudicem incrassata ibique fere tuberoso-subgloboso diametro pisi communis. Ex caudice exurgunt *folia* 10-15 subconfluentia, erecta, filiformia, planiuscula, leviter canaliculata, varie pinnata, quandoque sed rarius simplicia, longitudine digitali, pinnis inaequalibus inferioribus generatim brevioribus summis longissimis omnibus acutis subaccrescentibus integerrimis. E centro caudicis enascitur *scapus* solitarius, linearis, erectus, nudus, 1-florus, longitudine folia subaequans, extollens capitulum florum ovatum, 2-3 lin longum, diam. 1-linum. Singulum *capitulum* constat 1.° ad apicem scapi *calyculo* ex foliolis 8-10 subimbricatis, ellipticis, vix 1-lin longis, valde adpressis, subsquamosis, flavescenti-viridibus, medio linea nigrescente longitudinaliter notatis (Tab XXXIV f. 1). 2.° *Anthodio* simplici ex squamis 6-8 aequalibus, lanceolatis, 2-lin. longis ½, latis, adpressis, flavescentibus, margine albo-scariosis, externe tantum apice macula nigra exaratis, longitudinaliter levissime venosis (f. 2 3) 3.° *Receptaculo* parvo, planiusculo, nudiusculo, foveolato (f. 4). 4.° *Ligulis* paucis scilicet saepius tot quot anthodii squamae hasque vix superantibus ac parum angustioribus, omnibus aequalibus erectis apice tenuissime 5-dentatis, flavis (f. 5). 5.° *Genitalibus* de more ordinis 6.° *Pappo* ex setis paleaceis numero et longitudine inaequalibus

---

(1) *Bellardia* Allioni et *Bellardia* W. receptae non fuerunt; prima pertinet ad *Bartsiam Trixago* L., altera ad *Coccocypselum* *Tontanea* KUNTH (*Tontanea guyanensis* Aubl.).

quandoque obsoletus (f 6). 7° *Akenus* demum quae immaturitatis et tenuitatis causa perfecte reddere non potui, nil tamen in ipsis diversum adparet a seminibus generum affinium

Char. essentialis generis.

» *Anthodium* simplex sub-6-phyllum pauciflorum squamis subcolo-
» ratis margine scariosis basi imbricato-calyculatum *Receptac* nu-
» diusculum favealatum. *Ligulae* omnes aequales. *Pappus* setis pa-
» leaceis inaequalibus »

Species

LXXIX.

B pusilla Nob. *Krigia pusilla* Berter « Glaberrima glaucescens, » foliis linearibus inaequaliter pinnatis, scapo solitario nudo 1-floro » (Tab. XXXIV).

Obs Constat ex allatis genus hoc medium tenere inter *Krigiam* Schreb., *Hyoseridem* L. et *Hedypnoidem* W, differre autem a prima anthodio *calyculato* nec *nudo*, ab altera pappi structura, ab omnibus ligulis paucis atque inter se omnino aequalibus, nec non habitu proprio. *Grahamia aromatica* Hook (nunc sub *Cephalophora* ex Schrad in Arch bot I. p 555), quam dubitationis signo cl. Guillemin schedae inscripsit, toto coelo differt, haec enim pertinet ad *Eupatorinas* in quibus flosculi omnes tubulosi, insuper gaudet caule ramoso, foliis alternis linearilanceolatis, et nihil commune habet cum nostra stirpe (Conf. Hook exot. fl. t. 189. Spr. c. p pag 297 299)

PLANTÆ RARIORES

IN REGIONIBUS CHILENSIBUS

A CLARISSIMO

M. D. BERTERO

NUPER DETECTÆ

ET

AB A. COLLA

IN LUCEM EDITÆ

FASCICULUS VI

Taurini, ex Regia Typographia.

PLANTÆ RARIORES

IN REGIONIBUS CHILENSIBUS

A CLARISSIMO M. D. BERTERO

NUPER DETECTÆ

ET

AB A. COLLA

IN LUCEM EDITÆ

CAMPANULA.

Lin. gen. ed. Schreb. n. 290. *Spr. syst.* n. 788. *Lam. ill.* t. 123 (Pent. monog. *L.*, Campanulaceae *Juss. gen.* p. 163. *Alph. DC. monogr. des Campanulacées*, *Paris* 1830. *Bartl. ord. nat.* p. 152).

Inter innumeras hujusce generis stirpes, nuper a cl. Alph. DC. perbelle illustratas (1) 2-3 tantum crescant in Regionibus Chilensibus, scilicet *C. chilensis* MOLIN. enumerata a BERTERO in Merc

(1) Genus hoc modo comprehendens ex A. DC. *Campanulam*, *Specularium*, *Adenophoram*, *Symphiandram*, *Michauxiam*, *Cephalostigma*, *Platycodon*, *Microcodon*, *Wahlenbergiam* et *Prismatocarpos*, fovebat 255 stirpes

Chil. n XIII p. 599 et ad *Wahlembergiam linarioidem* amandato ab A. DC. l. c. p. 156, *C. Larraini* sub hoc nomine misso ab eodem Bertero ex pascuis sylvaticis collium et montium ins. *Iuan Fernandez*, et *Wahlembergiam fernandezianam* a laudato A. DC. descripta p. 160 sine icone. Valde tamen dubito hanc stirpem eamdem esse ac *C. Larraini*, nam comparata cum descriptione Alphonsiana, nonnullos diversos refert characteres; denuum *C. gracilis* Forst., varietas conspicua, de qua nulla mentio penes Auctores. Huius igitur sufficiat varietatis phrasim, alterius diagnosim et iconem nondum editam praebere

LXXX.

C. Larraini Berter. ined. « Caule sublignoso erecto striato *gla-
» berrimo* superne paniculato, ramis divaricatis, foliis *sparsis ter-
» nisve* omnibus sessilibus ovato lanceolatis acutis dentatis *glaber-
» rimis*, floribus terminalibus paniculatis, laciniis calycinis lineari-
» lanceolatis acutis basi dilatatis *integerrimis* corolla *campanulata*
» semi-5-fida triplo brevioribus, stylo incluso ». Non. *Wahlembergia fernandeziana* caule sub-ligunoso erecto ubique foliosa glabro vel *piloso*, foliis lanceolatis acutis serratis glabris vel *pilosiusculis*, tubo calycis glabro ob-conico, lobis *sub-serratis*, corolla *infundibuliformi* semi-5-fida lobis calycinis triplo longiore, capsula ob-conica *A. DC. monogr. p. 160* ?

Obs. Ex comparatione utriusque phrasis constat, formam plantam Berterianam et Alphonsianam ad eamdem stirpem pertinere, differunt enim tantum superficie omnimodo *glabra*, lobis calycinis *integerrimis*, corolla *campanulata* in prima; superficie *sub pilosa*, lobis calycinis *sub-serratis*, corolla *infundibuliformi* in altera. Aliae nonnullae differentiae eruuntur ex descriptione Alphonsiana, folia *alterna* dicit DC., in nostra sunt potius *sparsa* et saepius superiora praesertim *terna*, pedunculos tradit esse *pollicares vel similes*, in nostra sunt *dimidio breviores* lacerm nec *striati*. Vid tab. XXXV

LXXXI.

C. gracilis var. ζ *revoluta* Nob. sub *Wahlenbergia* A. DC excl. omnibus verr. Forst. prod. n. 84. (Ad rupium fissuras in montibus editioribus ins. *Iuan Fernandes* Bertero in scheda). Stirps polymorpha, cuius 4 varr. describit el. A. DC. ex R. Brown 3 *N. Holl.*, alteram *N. Zeland.* incolas, ad hasce referri non potest planta fernandeziana, cuius est manifeste pilosus, folia superne glabra subtus pilosiuscula margine valde revoluta; pedunculi in typo et varietatibus admodum elongati, in nostra sunt vix 3-lin. longi, stylus exsertus. Ceterum quum in scheda Berterii pro *C. gracili* habeatur, non audeo novam speciem proponere.

LOBELIA.

Lin. gen. ed. Schreb. n. 1363 *spr. syst. I. n.* 779. *Lam. ill. t.* 724 (syngen. monog. *L.*, Lobeliaceae *Iuss. ann. du mus.* 18 Bort. ord. nat. p. 150 Campanulaceae *sect.* 2 *Iuss. gen.* p. 165)

Tres *Lobeliae* species enumerat Berterius in Merc. Chil. n. XV p. 691, scilicet *L. Tupa* Lin., *L. decurrentem* Cav., et alteram sine nomine, quam novam existimat, ac crescere tradit circa *Valparaiso*. De hac uti etiam de *L. cordigera* Cav. semina ipse misit quae non germinerunt. Praeter hasce stirpes aliam legit Peregrinator noster in rupibus maritimis locis humidusculis (*English-Bay*) ins. *Iuan Fernandez*, quam *rupincolam* dixit in scheda, quamque novam esse ex sequenti nostro descriptione eruitur.

Descriptio.

Planta valde caespitosa diffusa undique glaberrima. *Radix* (annua?) fibrosa repens. *Caulis* herbaceus, procumbens, sarmentosus, geni-

culatus, inferne teres et ad geniculos radicans, superne acutiores demum compresso alatus, laevis, ramosus, ramis sparsis sub-fastigiatis. *Folia* alterna, approximata scilicet internodiis fere duplo longiora, erectiuscula, inferiora brevi petiolata superiora sessilia basi sub-decurrentia, ovato-lanceolata, sub-sinuato-denticulata ac interdum integra saepius omnibus inaequalibus 1-4 tenuissime denticulatis circumdata, obtusiuscula, 1-nervia, venosa, plana, mollissima *Flores* axillares, solitarii, raro bini. *Pedunculi* filiformes vix 1-lin longi *Calyx* 1-sepalus, ovario adnatus, turbinatus, 2-lin. longus, superne 5-dentatus dentibus minimis acutissimis erectiusculis. *Corolla* 2 labiata dorso longitudinaliter fissa, limbo 5-fido, calyce duplo longior, ex sicco albo-rosea. *Stamina* 5 filamentis sub-liberis, antheris in tubum connatis basi barbatis. *Stylus* 1 inclusus ciliato sub stigmate 2-lobo instructus *Capsula* 2 locularis dissepimento utrinque placentifero

LXXXII.

L. rupincola Bertar ined « Glaberrima, caule caespitoso basi radicante adscendente ramoso, ramis alatis, foliis omnibus alternis ovato-lanceolatis sub-sinuato-denticulatis inferioribus petiolatis superioribus sessilibus basi sub-decurrentibus, pedunculis axillaribus solitariis brevissimis 1-floris, capsulis turbinatis laevibus » Nob.

ARBUTUS.

Lin gen ed Schreb. n. 750 *excl. stirpibus fructu drupaceo Spr syst n* 1541 *Lam. ill. t.* 366 *f* 1 (Decand. monog. *L.*, Ericae *Juss gen sect.* 1 *p* 160, Ericineae Ericea *DC th elém p.* 217. *Bartl ord nat. p* 154).

Arbuti stirpes non memorat Bertero in Merc. Chil, nec ex Auctoribus eruitur regiones chilenses aliquam de hacce pulcherrima

fruticibus producere, qui rari non sunt in *America* boreali, in *Mexico*, nec non in freto *Magellanico*, novam attamen stirpem invenit Bertarus ipse in fruticetis apricis collium et montium ins. *Juan Fernandez*, quae vulgo *Murtilla* nuncupatur, et ipse *rigidam* appellavit, faciem *Myrti* praesefert, atque accedit *Vaccinus* habitu inspecto, sed numero staminum et fructu supero ad *Arbutum* absque dubio est referenda, fructus autem quum sit reapse baccatus, placentis laminas polyspermas ostentibus, ad novum *Arctostaphyli* genus, in quo fructus drupaceus, seminibus 5 tantum ima centrali adfixis, pertinere non potest.

Descriptio

Radix deest in specim. *Caulis* arboreus, erectus, teres, ramosus, rufescens, glaber, ramosissimus. *Folia* alterna, approximata, erectiuscula, rigida, coriacea, brevissime petiolata, ovata, 4-lin. longa 2-lata, serrata, margine basim versus subtus paullulum revoluta, acutiuscula, utrinque glabra, superne lucida inferne opaca albidiora ac punctis tenuissimis rufescentibus hinc inde maculata, 1-nervia, reticulato-venosa. Versus apicem ramulorum ex in foliorum axillis nascuntur flores pedunculati solitarii quidem sed ex foliorum proximitate speciosum racemum simplicem 3-4-pollicarem constituentes. *Pedunculi* filiformes, foliis fere dimidio longiores, rubicundi, glabri, ante anthesim sub-nutantes demum erecti. *Calyx* inferus 1-lin. longus, glaber, albo-roseus, 5 partitus, laciniis lanceolatis erectiusculis. *Corolla* urceolata calyce duplo longior, albo-rosea, limbo leviter 5-dentato parum reflexo. *Stam.* 10 basi villosiuscula, antheris 2 aristatis apice poris 2 dehiscentibus. *Stylus* brevis, stigmate sub-4-lobo. *Fructus* baccatus levissime granulato-tuberculatus 6-locularis, ruber, pisi communis magnitudinem vix excedens et sic duplo triplove minor quam in *A. Unedone*, stylo persistenti apiculatus, placentis laminas polyspermas ostentibus. *Semina* minutissima oblonga.

LXXXIII.

A. rigida Berter ined. « Arborea glaberrima, foliis sub-sessilibus ovatis coriaceis rigidissimis serratis acutis margine basim versus sub-revolutis, racemis terminalibus foliosis, pedunculis elongatis solitariis sub-nutantibus demum erectis ». Non Vid. t. XXXVI.

GONOLOBUS

R. Br. mem. Wern. soc. I p. 35. *Spr. syst.* n. 977. Cynanchi *spec. L.* (Pentand. dig., Asclepiadeae Cerencene *R. Brown*, *Spr.* Asclepiadeae genuinae *Bartl.* ord. nat. p. 202).

Gonolobi genus ab eximio R. Brown statutum ex variis stirpibus e *Cynancho* diremptis attente tum structura *coronae gynostemii* in *Cynancho* monophyllae 5-20-lobae, in *Gonolobo* annuliformis, cum superficie *folliculi* in illo laevis, in hoc costati, tres praebet distinctas ac novas species e regionibus chilensibus, monente Berterio in Merc. Chil. n. XIV p. 645. Primam dicit vulgo appellari *Iasmin del Tucuman*, sed quam publici iuris fecit opus illud, eam non invenerat sponteneam, et cultam tantum observaverat in hortis cum fructu et sine flore, alteras autem indigenas indicabat sub nominibus vulgaribus *Voqui* et *Voquecillo*. Binas tantum subinde misit stirpes cl. Auctor utrasque sine nomine specifico, unam tamen cum indicatione nominis vernaculi *Voquecillo*, primam ad *Iasmin del Tucuman* pertinere suadent lobi foliorum inaequales, de qua speciali nota mentionem ipse fecerat, unde *obliquifolium* appellavi; altera spectat sine dubio ad tertiam ab Auctore enumeratam in citato Merc. Chil., atque pro illa retinui nomen ipsum vernaculum sibi pariterque in scheda indicatum.

LXXXIV.

1 *G obliquifolius* Nob » Herbaceus erectiusculus glaberrimus, » foliis petiolatis oblongis basi oblique cordatis lobis rotundatis » apice obtusiusculis, umbellis lateralibus paucifloris, pedunculis » calycibusque villosis, laciniis corollae ovato-lanceolatis obtusis » erectis calyce duplo longioribus ». (Hab. *Chili Rio Claro*). Vid. tab XXXVII.

Descriptio

Radix deest in specim. *Caulis* herbaceus, erectiusculus, gracilis, versus apicem filiformis ac subinde forsan volubilis, geniculatus interuodiis pollicaribus et ultra, teres, laevis, glaberrimus, cinerascens, parce ramosus ramis sparsis gracillimis. *Folia* opposita, petiolata, oblonga, longitudine pollicari cum petiolo, plus minus lata ac alia lanceolata alia breviora et latiora ut fere triloba adpareant, basi oblique et irregulariter cordata ac lobis longitudine inaequalibus sed constanter rotundatis, apice saepius obtusiuscula rarius acuta, patentia, margine integerrima, glaberrima, pallide viridia, 1 nervia, reticulato-venosa venis oculis nudis vix conspicuis, plana, membranacea. *Petioli* filiformes, nunc folium subsequentes aut longiores, nunc plus minus breviores. Flores 2-4 in umbellas laterales simplicissimas dispositi, *pedunculus* communis teres folium subaequans rubescens vix villosus, *pedicelli* 2-lin longi magis rubicundi et villis albis crebrioribus ac longioribus adspersi. *Calyx* profundissime 5-partitus, laciniis lanceolatis 1-lin longis erectis extus ut pedicelli villosis. *Corolla* rotata 5-partita, laciniis ovato-lanceolatis obtusis erectis calyce duplo longioribus sordide flavis margine pallidioribus. *Corona* gynostemii annuliformis 5-lobata lobis vix distinctis. *Massae* pollinis geminae transversim adfixae stigmate occultatae. *Folliculi* desunt in specim.

2

LXXXV.

2\. G. *Vaqueilo* Nob » Herbaceus humilis caespitosus, foliis » petiolatis oblongis linearibusve basi aequaliter sub-truncato-cor- » datis, umbellis lateralibus sub-multifloris, pedunculis calycibus- » que glabris, laciniis corollae lanceolatis obtusis patentiusculis » calycem parum superantibus » (Hab. *Chili* in pratis sterilibus collium *Valparaiso*) Vid tab XXXVIII

Obs Differt a priori, praeter notas allatas, et speciatim aequalitate loborum in foliis, statura valde minori, caulibus caespitosis divaricatis firmioribus, umbellis 5-10-floris, floribus parum minoribus, laciniis corollae atro-sanguineis 1-coloribus.

PHLOX

Lin gen. ed. Schreb n 839. *Spr syst.* n 664 *Lam. ill.* t 108 (Pentand monog *L* Polemoniaceae *Vent tabl II* p 398, *Bartl ord nat* p 122 188).

Pulcherrimum hocce genus constans 20 circiter stirpibus ex *America* boreali, quarum plurimas modo hortos nostros luxuriantibus floribus exornant, unam tantum laudabat in regionibus chilensibus crescentem sc. *Ph biflorum* R et P fl. per II p 17, dum sollertissimus Bertero aliam detexit in nemoribus arenosis planitiei circa *Cachapual*, eamque enumeravit in Merc Chil n XVI p 743 sub nomine *Ph unidentatae* sine alia indicatione Novissimam esse, et pro genere valde singularem, certe suadebit sequens illustratio ex plantis siccis ab Auctore communicatis exarata.

Descriptio.

Radix (perennis?) fusiformis, profunda superne diametro 1-lin., cortice albescente, in fibras capillares patentissimasque sub-divisa. *Caulis* erectus, teres, simpliciusculus seu apicem versus vix ramulosus, pedalis et ultra, diam. 1-lin., laevis, inferne glaberrimus, rubescens, superne viridusculus ac villis creberrimis brevissimis adspersus. *Folia* alterna (quod speciale in hoc genere), inferiora ovato lanceolata, in petiolum attenuata, subtus rubescentia uti caulis, superne viridia, superiora gradatim longiora et angustiora, sub-sessilia, reapse lineari-lanceolata, utrinque viridia, omnia erecta, approximata internodiis 2-3-lin. longis eaque triplo longiora, acuta, sub-dentata sc. alia integerrima alia denticulo saepius 1 quandoque 2 rarius 3 acuto erecta uno aliove margine praedita (unde *unidentatam* BERTERO illam appellavit, forsan minus apte uti ipse fatetur l. c.), glaberrima, uninervia, plana, membranacea, ex eodem puncto adparent quandoque 1-2 foliola minima integerrima 1-2-lin. longa. Caulis desinit in *corymbum* valde coarctatum sub-orbiculatum diam. pollicari foliis 5-7 ceteris parum latioribus margine tenuissime ciliatis involucratum, continens 20-25 flores sessiles, quorum singuli referunt 1.° *calycem* profunde 5-partitum, laciniis lanceolatis 2-lin. longis ½ latis ad medietatem usque albidis hinc viridibus membranaceis glandoloso-villosis, 2.° *corollam* (ex sicco luteolam) tubulosam, tubo gracillimo versus faucem parum dilatato calyce duplo longiore limbo 5-lobo lobis patentibus ovato-rotundatis diam. 1-½ lin., 3.° *stamina* 5 sub-inaequalia ad medietatem tubi inserta, inclusa, 4.° *stylum* 1, 5.° *ovarium* minutissimum probabiliter 3-loculare more generis. *Fructus* desiderantur in specimine.

LXXXVI.

1 *Phl unidentata* Berter l. c. « Caule herbaceo recto simpli-
» cissimo glaberrimo rubescente demum villosiusculo viridi, foliis
» alternis integerrimis vel 1-3-dentatis, inferioribus ovato-lanceolatis
» subtus rubescentibus, superioribus lineari lanceolatis gradatim
» longioribus utrinque viridibus, corymbo terminali coarctato in-
» volucrato, floribus sessilibus, laciniis calycinis lanceolatis glan-
» duloso-villosis, corollae tubo elongato, limbo ovato rotundato »
Nob. Vid. tab. XXXIX.

Obs Primo intuitu a ceteris hujusce generis stirpibus distinguitur planta nostra foliis alternis, corymbo coarctato indiviso, floribus sessilibus, forsan alterius generis? An ad *Collomiam* Nutt refe-renda, et speciatim ad *C. grandifloram* Lindl., cui valde affinis videtur? Dolendum, nec fructum nec ovarium saltem satis fecun-dum mihi non licuisse attento examini subjicere.

LITHOSPERMUM.

Lin. gen ed Schreb n. 241 Spr syst n 582 Lam ill. t 91.
(Pent monog L, Asperifoliae nuciferae *Lehm*, Borragineae asperifoliae *Bartl ord. nat p 197*)

Inter multiplices hujusce generis stirpes (54 ex Spr.) nullam e regionibus chilensibus memorant Auctores, si *L. muricatum* R et P (fl. peruv. II p 4) excipias, quod ego non vidi, nec enume-ratur a Bertero in Merc. Chil n XV p 690. Equidem illi refert el Auctor *L. apulum* L., sed dubitat ad aliam stirpem pertinere, quod asserere ausus non est ob defectum speciminum europaeorum = *Seria necesario compararla con la de Europa para conocer su diferencia, si es que existe.* = Semina saltem ac perfecta specimina misit de planta chilensi, unde ex comparatione cognovi

illam toto coelo differre a *L. apulo* novamque optimam stirpem constituere quam *chilensem* appellari.

Descriptio.

Radix perennis, crassiuscula, fibrosa, ramosa, longe excurrens. *Caulis* herbaceus, erectus, sub-fistulosus, 2-pedalis, basi fere digiti minimi crassitie, subinde gradatim tenuior, sub-teres, leviter striatus, piloso-hispidissimus ac pilis rigidis albidis crebris 1/2 lin. longis undique exasperatus, ramosus. *Rami* alterni, divaricati, in axillis foliorum solitarii, folioque ipso paullo longiores. *Folia* alterna, remotiuscula ac internodiis 1-2-pollicaribus, erectiuscula, lineari-lanceolata sc. 1-3-poll. longa 3 lin. circa medium lata, inferiora utrinque acuta superiora basi sub-amplexicaulia, integerrima, punctato-ciliata, aspera, 1-nervia, evenia. *Inflorescentia* spicato-sub-globosa ad apicem ramorum. *Flores* congesti, parvi, vix 1-lin. longi, sub-sessiles, ebracteati. *Calyx* profunde 5 partitus, persistens, laciniis lineari-lanceolatis subulatis carinatis erectis aequalibus extus uti folia punctato-ciliatis asperis intus glabris corollae tubum subaequantibus. *Corolla* infundibuliformis, facie pervia, nuda, tubo cylindrico flavescente, limbo flavo breviter 5-fido lobis rotundatis integerrimis vix patentibus. *Stam.* 5 antheris in fauce corollae inclusis. *Styl.* 1-filiformis tubum corollae sub-aequans. *Stigma* obtusum leviter 2-fidum. *Nuces* 4 fundo calycis adfixae distinctae basi imperforatae ovatae muricato-rugosae, sc. rugae variae transversae hinc inde punctis albidis promulis tectae.

LXXXVII.

L. chilense Nob. *L. apulum*? Berter. Merc. Chil. n. XV. p. 620. (*Chili Rancagua* locis cultis et pascuis collinis). « Caule herbaceo « erecto piloso-hispidissimo ramoso, ramis divaricatis, foliis alter- « nis lineari lanceolatis utrinque acutis superioribus sub-amplexi-

» caulibus punctato-calatis asperis evenus, spicis terminalibus sub-
» globosis, calyce ebracteato corollae lateae tubum subaequante,
» nucibus muricato-rugosis » Vid. tab XL

Obs. Habitu magis accedit ad *L. officinale* L quam ad *L. apulum*, sed differt a primo herba undique magis *hispida* pilis *longioribus*, foliis *evenus*, ac praetertim nucibus *muricato-rugosis* nec *lucidis glaberrimis* Medium potius tenere videtur inter *L. officinale* et *L. arvense*, sed in hoc *strigoso* nec *piloso-hispido* folia sunt duplo triplove minora, rami *stricti longissimi*, spicae *foliosae elongatae*.

MYOSOTIS

Lin gen. ed. Schreb. n. 240 *Spr. syst n.* 593. *Lam. ill t.* 91 (Pent. monog *L.*, Asperifoliae nuciferae *Lehm*, Borragineae asperifoliae *Bartl ord. nat p* 197)

Praeter *Myosotidem corymbosam* R. et P. fl peruv II. p 5 tres alias stirpes chilenses enumerat Bertero in Merc Chil. n XV p 702 sine nomine specifico nec alia indicatione, observans tantum, alterum ex illis affinem videri *M humili* R. et P. Ex speciminibus omnes novas existimo et iden illustrandas, nomina specifica ex principali differentia inter ipsas desumsi

LXXXVIII.

1 *M alba* Nob *M* ? Berter l c et in scheda (*Chili, Rancagua*) « Caule simplicissimo erecto-villoso, foliis lanceolatis hir-
» sutis integerrimis, radicalibus in rosulam congestis, caulinis al
» ternis gradatim minoribus, racemo terminali 3 partito ebracteato,
» calycibus 5-partitis sub-sessilibus flavescenti-villosissimis, corollae
» (albae) tubo calycem aequante, limbo patente lobis rotundatis
» integerrimis » Nob Vid tab. XLI

Descriptio

Radix herbacea (annua?), fusiformis, crassiuscula, diam. ½ lin. circiter, vix nonnullis fibris brevibus praedita. *Caulis* simplicissimus, erectus, teretiusculus, villis tenuissimis ac mollissimis undique adspersus nec asper, altitudine semi-pedali et ultra, diam. ½ lin. *Folia* lanceolata, utrinque angustata, sessilia, integerrima, membranacea, plana, scabriusculo-hirsuta, insuper a medio ad apicem villis tenuissimis uti caulis conspersa, radicalia in rosulam pollicarem et ultra congesta, semi-pollicem longa a 3 lin. lata, caulina alterna, erecta, remota ac internodiis pollicaribus gradatim sursum breviora. *Inflorescentia* terminalis, racemoso-paniculata, ac caulis apice 3-partitus ibique ebracteatus, rami seu pedunculi vix semi-pollicares flores 5-7 circiter in spicam sub-congestos gerentes. Unusquisque flos vix ac ne vix quidem pedicellatus constat calyce profunde 5-partito, laciniis lineari-lanceolatis erectis 1 lin. longis undique villis flavescentibus creberrimis tectis, *corolla* hypocrateriformi alba (quod rarissimum in congeneribus), tubo calycem aequante, fauce squamis 5 minutissimis clausa, limbo 5-partito patente, lobis rotundatis diam. ¼ lin. integerrimis, *genitalia* de more generis inclusa; *nuces* in fundo calycis immaturas in speciminibus ob earum tenuitatem nec in hac nec in sequentibus stirpibus observare potui utrum *laeves* vel *rugulosae*, ex qua consideratione *Myosotidis* genus in duas sectiones ab Auctoribus divisum.

LXXXIX.

2. *M. linearis* Nob. *M.* . . Berter. l. c. et in schedo (cum priori).
» Caule simplicissimo erecto villosiusculo, foliis alternis linearibus
» obtusis integerrimis villosis, panicula terminali ebracteata, ramis
» spicatis apice incurvis, calycibus 5-fidis sessilibus sub-secundis

» flavescenti-villosissimis, corollae (flavae) tubo calycem sequante,
» limbo patente lobis rotundatis integerrimis ». Nob. Vid. tab. XLII.

Obs. Differt a priori, praeter characteres allatos, statura undique valde minori.

XC.

3. *M. procumbens* Nob. *M. humili* affinis Berter. l. c. et in scheda (*Chili* prope *Corcolea*). « Caulibus caespitosis procumbentibus filiformibus villosiusculis, foliis sparsis alternisve lineari-lanceolatis obtusissimis integerrimis ciliatis, spicis sub-simplicibus elongatis, calycibus 5 partitis sessilibus secundis, laciniis villosis apice flavo maculatis, corollae (flavescentis) tubo calyce breviore, limbo sub-clauso ». Nob.

Obs. *M. humilem* R. et P. cui stirpem hanc affinem dicit Berterius, non vidi, sed ex descriptione Auctorum comparata cum planta Berteriana videtur differre foliis *lineari-lanceolatis* nec reapse *linearibus*, vix *ciliatis*, caulibus *villosiusculis* nec *hispidis*, corolla *flavescente* non *alba*. Accedit quoque ad *M. arvensem* Sibth. sed caulibus *prostratis*, villis ciliisque *mollissimis*, corollis *flavescentibus* sub-clausis abunde distincta.

CYNOGLOSSUM.

Lin. gen. ed. Schreb. n. 243. *Spr. syst. n.* 601. *Lam. dict. t.* 92.
(Pent. monog. *L.*, Asperifoliae nuciferae *Lehm.*, Boragineae asperifoliae *Bartl. ord. nat. p.* 197.)

Cynoglossi genus in recentiori scientiae conditione continens non tam *Cynoglossum*, quam *Omphalodem*, *Mattiam*, *Rinderam* et *Picotiam* quorumdam Auctorum (1), laudat 50 circiter stirpes per

(1) Conf. R. et S. syst. IV. p. IX. X.

orbem sparsas, annuas herbaceas, inter quas tres tantum detectae fuerant in regionibus chilensibus, sc. *C. decurrens* R. et P., *C. pauciflorum* R. et P. et *C. latiflorum* Lam. (Syst. syst. 1. p. 565 n. 20. 25 et p. 166. n. 30). De prima adest Bertero in Merc. Chil. n. XIII. p. 610. Sed alias enumeravit et insuper de hisce perfectissima specimina misit anno 1829. At anno sequenti insulam *Juan Fernandez* percurrens strenuissimus viator, inter plures stirpes prorsus Botanicis incognitas, novissimam de hoc genere speciem invenit, quae eo magis pretiosior evadit, quo ab omnibus congeneribus habitu toto coelo aberrat, praesertim caule fruticoso foliisque glaberrimis, res miranda in *Cynoglossis*, immo in maxima *Borraginearum nuciferarum* parte caulem herbaceum ac folia plus minus hirta gerente, unde rite Botanicorum Princeps illas *Asperifolias* salutaverat, et nisi fructificationis organa rite perpensa omnes *Cynoglossi* characteres genericos praeseferrent, quisque, in ordine naturali, de illo novum genus constitueret. Dolet equidem speciem nostram ramum unicum cum fructificatione, nec fructus perfecte maturos referre, sed mancis ex analogia ac notis in schedula ab Auctore inscriptis supplere conabor.

Descriptio

Frutex 3-5 pedalis, glaberrimus, ramosus, cortice rimoso cinerascente. *Rami* erecti, rigidissimi, teretes, rimosi, versus basim pennae anserinae crassitie ibique ex foliorum casu cicatricibus lotiusculis notati. *Folia* alterna vel sparsa approximata se internodiis unguicularibus, erecta, rigidiuscula, elliptica, longitudine 2-pollicari, latitudine circa medium $^2/_3$ poll., versus basim in petiolum planum attenuata, apice sub-acuminata, sc. nonnulla obtusiuscula alia acuta plura in acumen 1-2-lin. longum terminata, margine integerrima, utrinque glabra, tenuissime punctato-scabriuscula, superne intense viridia subtus glaucescentia, 1-nervia nervo prominulo basi dilatato rubescente, parce venosa, membranacea (semperv-

rentia?). *Panicula* terminalis, spithamaea et ultra, valde ramosa ramis corymbosis se in ramulos 5 6 sub-aequales divisis, pedunculis villoso-canescentibus, singuli ramuli referunt versus apicem 5-10 flores capitato-sub-congestos brevi et inaequaliter pedicellatos. *Flos* constat calyce 5-partito, laciniis ovato-lanceolatis aequalibus ¼ lin. longis extus uti pedicelli villoso-canescentibus, *corolla* infundibuliformi saturate-flava, tubo longitudine calycis, fauce fornicibus 5 inter lobos compressis sub-clausa, limbo 5-lobo ¼ lin. longo patente lobis obtusis, *antheris* 5 sub-sessilibus 2-locularibus versus apicem tubi inclusis subtus fornicibus, stylo 1 columnari villosiusculo, longitudine tubi, stigmate simplicissimo truncato, nucibus 4 basi styli (*columna centrali* LEHM) adfixis, compressiusculis, basi imperfectis villosiusculis (an maturitate *echinatis*?)

XCI.

C. Berteri Nob. *C* an sp nov? Berter msd. (in praeruptis sylvaticis montium editiorum ins. *Iuan Fernandez*) « Caule fruticoso erecto ramoso glabro, foliis alternis sparsis elliptica in-
» tegerrimis in petiolum attenuatis sub-acuminatis glabris tenuissime
» punctato-scabridis superne viridibus subtus glaucescentibus, pa-
» niculi terminali composita ramis corymbosis calycibusque villoso-
» canescentibus, corollis calyce duplo longiore, nucibus (imma-
» turis) villosis » Nob. Vid tab XLIII.

Obs Ex allatis satis liquet, stirpem hanc inter *Cynoglossa* esse referendam, etsi a congeneribus valde habitu recedentem, dubium remanet utrum inter stirpes primae sectionis (nucibus *echinatis*) vel secundae (nucibus *urceolatis*) sit enumeranda.

LYCIUM

Lin. gen ed Schreb n. 343 *exclusis paucis stirpib Spr syst n* 759. *Lam ill. t* 112. (Pent. monog *L.*, Solaneae bacciferae *Juss*, *Bartl* etc).

In Merc Chil. enumeratur *L. chilense* ex Miers, quod crescit in rupestribus maritimis circa *Maypu*, in *Leona*, *Quintero* etc. quodque Bertero asserit non differre a *L. obovato* R et P. nisi foliorum forma. Cultum in h. Ripul. ex seminibus missis ab Auctore, aliis notis recedere quoque mihi videtur a planta Ruiziana. Idem observavit etiam cl. DC. in *cinq. notic. sur les plant. cult à Genève* 1833, qui addit, eandem stirpem missam fuisse a cl. Poeppig sub nomine *L nutantis*. Sed diagnosis Candolleana mihi non videtur satis apta ad differentias praecipuas indicandas, nec in omnibus quadrat cum plantis meis. Novam igitur phrasim propono, et iconem addo.

XCII.

L. chilense Berter Merc Chil. n XV p 693 ex Miers. *L nutans* Poëppig sec DC. « Caule sub-inermi erecto ramoso, ramis gracilibus cinereis, foliis alternis sparsisve brevissime petiolatis ovato-» lanceolatis integris vel sub-recurvis tenuissime ciliatis, pedunculis » solitariis 1-floris corollam sub-aequantibus, calycibus regularibus » semi-5-fidis villosiusculis erectis, corollae limbo 5-partito patulo » tubo longiore, laciniis ovato oblongis, staminibus e fauce exsertis» Nos Vid tab. XLIV.

L inerme, foliis oblongis ciliatis, floribus solitariis, calyce pilosa, corolla 5-fida basi externe velutina, staminibus inclusis DC. l. c

Obs. A *L. obovato* R. et P. fl. per. II. p. 16. t. 183 f. c differt praesertim caule inermi vel quandoque vix spinuloso nec *spinis rigidis*, foliis *sub-sessilibus* nec patenter *petiolatis*, *ovato-lanceolatis* nec *obovatis*, quandoque *retusis* nec *integerrimis*, aliis *acutis* numquam *obtusissimis*, floribus *sub-erectis* non *nutantibus*, laciniis calycinis *erectis* non *sub-reflexis*, corollis demum *viridi-luteolis* nec *purpureo-violaceis*. Calyx non est *pilosus* ut in phrasi DC., sed vix *villosiusculus* uti folia; corolla nullibi *velutina* mihi apparuit, stamina equidem *inclusa* respectu limbi corollae, sed ipsam subsequuntur et idea a fauce *exserta*. Plantae ex seminibus variant caulibus omnino inermibus vel spinulosis, foliis membranaceis vel carnosis. Cultura sub dio in h. Ripul. hyeme perdurat.

PETUNIA

Juss. ann. mus. paris. II. p. 214. t. 47. Spr. syst. n. 652. Nicotianae *spec. Lam. et Lehm.* (Pent. monog. *Spr.*, Solaneae *Bartl. ord. nat. p.* 194. Solaneae Nicotianeae *Colla hb. Pedem.*)

Genus hoc a cl. Jussieu creatum pro 2 stirpibus inter *Nicotianas* a Lam. et Lehm. enumeratis (*N. axillaris* Lam. ill. t. 2267 eadem ac *P. nyctaginiflora* Lehm. nicot. p. 21, et *N. parviflora* Lehm. l. c. p. 21) altera novissima specie adauctum fuit a cl. Miers (*Petunia viscosa*) monente Bertero in schedis seminum quae nobis humaniter communicavit, et ex quibus perfectissimas plantas obtinui in h. Ripul. Hanc igitur descriptione et icone illustrare opportunum duxi.

Descriptio.

Radix annua, perpendicularis, filiformis, parum fibrosa. *Caulis* herbaceus, erectus, teres, altit. vix dodrantali diam. 1/4 lin., uti tota planta viscosus ac pilis tenuissimis rectis apice glandulosis obtectus, ramosus. *Rami* sparsi, erectiusculi, lineares, simpliciusculi

Folia sparsa vel opposita, integerrima, inferiora lanceolata, longitudine pollicari et ultra, latitudine circa medium 2-3-lin., erecta, in petiolum longum attenuata, obtusiuscula, uninervia, media lineari-lanceolata, longitudine inaequali, patentia, sub-sessilia, acuta, nervo evanido, suprema linearia, breviora, erecta immo fere stricta, sub-acuminata, omnia exstipulata. *Pedunculi* sparsi ac quandoque axillares, quandoque laterales in caule et ramis, filiformes, erecti, 1-lin. circiter longi, constanter 1-flori. *Calyx* profunde 5-partitus, campanulatus, persistens, *laciniis* lineari-lanceolatis acutis erectis, pedunculo duplo longioribus. *Corolla* infundibuliformis, ex albo viridis, *tubo* aequali, erecto, calyce duplo longiore, *limbo* brevissime 5-lobo, *lobis* patentiusculis sub-inaequalibus, laciniis calycinis alternis. *Stam.* 5 intra tubum calycis ubique inserta, libera, inaequalia, *filamentis* capillaribus, *antheris* sub-rotundis. *Styl.* 1 filiformis inclusus, *stigmate* capitato sub-2-lobo. *Caps.* laciniis calycinis basi cincta, apice 2-locularis 2-valvis, valvulis post dehiscentiam paullo retroflexis, polysperma. *Semina* minuta, nigra, globosa, levissima (sub lente) scrobiculata.

XCIII.

P. viscosa Miers. nec Berter inedl. (*Chili* in sylvaticis sabulosis collium *Quillota*). « Herbacea, undique pilis glanduloso-viscosis » obsita, foliis sparsis oppositisve integerrimis, inferioribus lanceo- » latis petiolatis, superioribus angustioribus sub-sessilibus acumi- » natis, pedunculis 1-floris foliis brevioribus, corollae tubo calyce » duplo longiore ». Non Vid. tab. XLV.

Obs. Differt praesertim a supra memoratis stirpibus, ac a *P. parviflora*, caule *erecto* nec *prostrato*, foliis inferioribus *petiolatis* nec *sessilibus*, superioribus magis *angustatis*, corolla *viridescente* nec *rubra* et valde *longiore*, a *P. nyctaginifolia* foliis *angustioribus*, pedunculis valde *brevioribus* et 1-*floris* nec 3-*floris*, corolla multoties *minori*, ab utraque autem tota planta *glanduloso-viscosa* nec *hirsuta* nec *pubescenti*.

CALCEOLARIA

Lin. gen. ed. Schreb. n. 39. *Spr. syst.* n. 84. *Lam. ill.* t. 15 (Diand. monog. *L.*, Scrophularinae sect. *II. Juss.*, Personatae *Spr.* Scrophularinae antirrhineae *Bartl.* ord. nat. p. 171.)

Speciosissimi *Calceolariae* generis ob singularem corollae structuram calceolum aemulantis (1) quamplurimae stirpes tum herbaceae cum frutescentes Americam meridionalem et praesertim regiones peruvianas et chilenses exornare monent Auctores ac peregrinatores botanici. Inter chilenses nonnullas enumerat Bertero in Merc. Chil. n. XIII. p. 598, scilicet *C. albam*, *lacrimatam*, *rugosam*, *sessilem* R. et P., *integrifoliam* Bot. reg., *montanam* Cav. et *verbascifoliam* Berter. Alias insuper quamplurimas determinatione difficillimas illuc inventas tradit, inter quas quatuor sequentes perfectissime exsiccatas mihi communicavit, sed nullo nisi generis ac stationis addita indicatione. De prima, utpote magis distincta,

(1) Circa structuram huiusce corollae ingeniosissimam habemus dissertationem cl. Guillemin in Arch. bot. 1833. tom. II. p. 1 et seq. ubi monstruosam nec naturalem illam esse arbitratur (*monstruosité congéniale*) quin tamen causam talis aberrationis tribuere valeat. Equidem corollam irregularem ferunt *Personatae* et *Labiatae* inter quas plerasque didynamas, nonnullas diandras; in istis, ut ac in *Calceolariae*, defectus e staminum constans adparet atque normalis, [illegible] etiam illis ubi aliorum duorum rudimenta non extant; attamen in omnibus generibus earundem ordinum in quibus talis valet corollae structura, hanc eandem formam constanter retinere [illegible]. Si autem quandoque occurrit loco corollae irregularis plus minus regularem illam [illegible] quod *Peloriae* nomine venit, id abortui tribuendum, potius quam reditum *ad typum primitivum* in hocce phaenomenon supponere; si frustra de eo quaerimus ubi in nostro opere, [illegible] dentalis et [illegible] videtur illi adparet, qui ratione habet [illegible] in regulam convertere naturae facta pro infecta habere? Haec nulla genera constituit, species procreet ut perpetuum habeant inter se similitudinem generationis modum, proprietates [illegible] nonnulla genera *naturalia* laudamus, id isto modo dicimus ad indicandum, eadem plures species continere quae certas characteres florales praesertim similes praeseferunt non quasi natura ipsa de generibus norit. *Peloria* igitur aberratio est et extat.

illustrationem omnibus, pro viribus, numeris absolutam vobis exhibere satagam, ceteras sola phrasi et observationibus notabo.

XCIV.

1. *C. ferruginea* Nob. non Cav. *C.* ...? Berter. in scheda. « Caule » suffruticoso elato glabro rigido ramoso; foliis oppositis lanceolato- » linearibus obtusiusculis in petiolum attenuatis obtusiuscule denti- » culatis superne glabris inferne ferrugineis reticulato-venosissimis » lacunosis, panicula terminali laxe ramis sub-corymbosis, pedun- » culis 1-floris ». Nob. (tab. XLVI).

Descriptio.

Radix deest in specimine. *Caulis* suffruticosus, erectus, 2-pedalis, pennae anserinae crassitie, teres, glaber, rigidus, rimosus, ramosissimus. *Rami* oppositi vel sparsi, striati, sub-tetragoni. *Folia caulina* opposita, approximata, erecta vel patentiuscula, lanceolato-linearia, basi in petiolum attenuata, apice acutiuscula, pollicaria et ultra, 3-4-lin. lata, apice obtusiuscula, denticulata dentibus brevissimis obtusis vel rarius sub-integerrima, superne viridia glabra inferne ferruginea, penninervia nervo principali praesertim prominulo, reticulato-venosissima, lacunosa, insuper ex axillis foliorum nascuntur folia 5-7-fasciculata illis duplo triplove omnibus partibus minora ceterum conformia quandoque in ramos abeuntia. *Folia ramea* caulinis parum minora, valde distantia, patentissima, opposita sine foliorum minorum additione, sessilia immo versus ramorum apicem sub-amplexicaulia. Rami ubi subdividuntur ac amplam *paniculam* palmatam constituunt inferne in ramulos oppositos divisam superne plerumque in ramulos ternos terminatam, ramuli cuncti foliis patentissimis ceterum foliis rameis simillimis suffulti adparent, sunt autem lineares 2-pollicares glaberrimi apice corymbosi, unusquisque corymbus 3-5 pedunculos refert a circiter 1-

neas longos plerumque in pedicellos totidem breviores uniflores divisos. *Calyx* 4-partitus, laciniis aequalibus ovatis ac. 1 lin longis ¼ latis glabris viridibus. *Corolla* 2-labiata, tubo vix ullo, labiis inflatis rotundatis integerrimis concavis, inferiore duplo maiore superioris ambitum fere tegente unde illa orbicularis apparet, diam 2 lin circiter, saturate flava. *Stam.* 2 inclusa aequalia. *Filamenta* ad latus tubi verses labium superius inserta. *Antherae* 2-loculares loculis divaricatis altero interdum sterili. *Ovarium* ovatum ante anthesim villoso-glutinosum demum glabrum, glutinosum *Stylus* obliquus filiformis staminum longitudine. *Stigma* simplex. *Capsula* ovato-conica, glabra, calyce persistente suffulta, 2-locularis, septicide-2-valvis, valvis 2-fidis, placentis septo adnatis. *Semina* numerosa, parva, sulcato-angulata.

Obs. Affinis videtur *C. salicifoliae* R. et P., sed non *viscosa*, folia *linearia* non *ovato-lanceolata*, subtus *ferruginea* nec *cinerea*, caulis *paniculatus* pedunculis 1-*floris* nec simpliciter *pedunculis geminis*. *Ferrugineam* dixi, stirps enim eiusdem nominis a Cav., a nostra valde diversa, pertinet ad *C. rosmarinifoliam* Lam. antiquiorem. Habitat in saxosis humidis collium *Valparaiso*.

XCV.

2. *C. Berteri* Nob. *C. sessilis* ...? Bertér. in scheda. « Caule » suffruticoso erecto ramoso glabriusculo, ramis strictis, foliis op- » positis ovato-lanceolatis in petiolum attenuatis acutis serratis gla- » bris subtus pallidioribus, paniculis terminalibus ramis sub-corym- » bosis. » Nob.

Obs. Accepta sub nomine *C. sessilis* cum dubitationis signo, quandam cum ea habet affinitatem, sed reapse differt foliis in petiolum attenuatis, nec *sessilibus semi-amplexicaulibus*, non *rugosis* etsi *reticulato-venosis*, non *incanis* sed *viridibus* inferne pallidiusculis, inflorescentia reapse *paniculata*. Habitat *Rancagua*.

XCVI.

3 *C nitida* Nob *C* ? Berter in scheda « Caule suffruticoso » erecto ramoso diffuso glabro, ramis strictis, foliis oppositis sessilibus nitidis ovato lanceolatis inferioribus et caulinis remote serratis superioribus integerrimis, panicula terminali laxa foliosa » ramis sub-corymbosis ». Nos.

Obs. Differt a priori, cum qua communem patriam habet, praeter characteres allatos, panicula breviori et magis laxa, ac floribus paullo minoribus

XCVII.

4 *C. salicifolia* Nob non Pers *C* ? Berter in scheda « Caule » fruticoso rigidiusculo ramoso lana demum deciduа, foliis oppositis sub-sessilibus ovato-lanceolatis basi dilatatis sursum attenuatis » obtusiusculis serrulatis superne glabriusculis inferne cinereo puberulis cum foliis 5-6 linearibus commixtis, panicula terminali » sub simplici foliosa, pedicellis 1-floris ». Nos.

Obs. A ceteris prima facie distinguitur foliorum dispositione, quorum 2 valde majora opposita, 5-6 linearia duplo breviora inaequalia fasciculata inter illorum axillas in ramos non abeuntia. *C salviaefolia* Pers omissa a Spr. eadem est ac *C. rugosa* R. et P

CUMINIA

Colla (Labiatae Nepeteae)

Fruticem accepi a Bertero lectum in insula *Iuan Fernandez* mense maii 1830 sub nomine *Phytoxidis acidissimae* Molin cum dubitationis signo, addita simpliciter in scheda sequenti observatione = *genus omnino diversum videtur* = Reapse, quamvis

manco sit MOLINÆ descriptio de sua *Phytoxyde* (quam nunquam vidi), habitus tamen stirpis Berterianae, et nonnulli fructificationis characteres, satis demonstrant ad aliud genus quam ad *Phytoxydem* illam pertinere, et praecipue circa habitum folia sunt in *Phytoxyde* sub sessilia, in nostra patentissime petiolata, in illa lanceolata denticulata scabra, in hac elliptica argute serrata glabra, inflorescentia in nostra axillaris equidem sed sub-corymbosa. Ad characteres genericos quod spectat, planta BERTERI quadrat in calyce cum stirpe MOLINÆ, sed corolla non prorsus *ringens* ut in *Phytoxyde*, immo sub-aequalis et vix 2-labiata, labio superiore parum productiore 2-lobo nec *abbreviato emarginato*, infero 3-lobo lobis omnibus *integris* nec lateralibus *pinnatifidis*. Haec aliasque differentias sequens illustratio demonstrat.

Descriptio.

Radix deest in specimine. *Caulis* fruticosus, solidus, erectus, rigidus, teretiusculus, glaber, tenuissime striatus, cortice fusco-rubescente, ramosissimus, inferne nudus, et foliorum cicatricibus exasperatus, superne crebre foliatus. *Rami* sparsi. *Folia* opposita, approximata se internodiis vix 2-lin. longis, erectiuscula, petiolata, elliptica, 1-poll. longa ½ circa medium lata, integra, argute ac breviter serrata, utrinque acuta, glabra superne intense viridia inferne pallidiuscula, nervosa se nervo medio patente lateralibus pennatis parum conspicuis, valde venulis ornatis reticulato-venosa ut fere lacunosa appareant, plana, membranacea. *Petioli* compressiusculi, 2-lin. longi, angustissimi, albescentes, ad insertionem gibboso incrassati ibique uti rami fusco-rubescentes. *Stipulae* nullae. *Flores* ebracteati in corymbos parvos axillares sub-sessiles folio breviores a medio ad apicem ramorum dispositi. *Calyx* tubulosus, glaber, membranaceus, regularis, 5-fidus, laciniis aequalibus acutis, 2-lin. et parum longior. *Corolla* monopetala, hypogyna, tubulosa, extus villosa, sub-irregulariter 5-fida seu 2-labiata, ac tubus calyce

dupla longior, limbus brevis labio superiore sub-erecto 2-lobo lobis rotundatis, inferiore 3-lobo lobis aequalibus oblongis obtusis. *Stamina* 4 intra tubum eoque breviora, didynama sed sub-aequalia, sc. 2 via longiora approximata, 2 lateralia distantia. *Filamenta* versus basim villosissima superne nuda filiformia. *Antherae* 2-lobae, lobis divaricatis. *Ovaria* 4 monosperma in fundo calycis, basi mediante stylo connexa, ovulis erectis. *Stylus* 1 filiformis e receptaculo ortus staminibus longior et corollae tubum sub-aequans. *Stigma* 2-fidum laciniis arcuatis sub-inaequalibus. *Caryopsides* (semina nuda L.) ob immaturitatem satis determinare haud potui, praesertim si omnes perfectae, aut una alterave abortiens uti saepe in *labiatis* occurrit. Color corollae exsiccatione evanuit, sed videtur lilacinus.

Character essentialis genericus

» *Calyx* tubulosus regularis 5-fidus. *Cor.* tubulosa sub-bilabiata, » labio supero productiore 2-lobo lobis rotundatis, infero 3-lobo » lobis oblongis aequalibus. *Stam.* intra tubum, media sub-longiora » approximata, lateralia distantia. *Filamenta* basi villosa. *Antherae* » 2-lobae lobis divaricatis. Stylus corollam sub-aequans ».

Obs. Genus hocce dixi in memoriam solertissimi botanici nostratis Honorii Cumini qui specimina fungorum vallis *Pesia* diligentissime legit, determinavit, ac publici iuris fecit an. 1805.

Species

XCVIII.

C. fernandezia. « Caule fruticoso, foliis petiolatis ellipticis argute » serratis glabris subtus pallidiusculis, floribus axillaribus sub-co- » rymbosis, corymbis sub-sessilibus folio brevioribus ». Vid. tab. XLVII.

PLANTÆ RARIORES

IN REGIONIBUS CHILENSIBUS

A CLARISSIMO

M. D. BERTERO

NUPER DETECTÆ

ET

AB A. COLLA

IN LUCEM EDITÆ

FASCICULUS ULTIMUS

Taurini ex Regia Typographia

Memorie della R. Accademia delle Scienze di Torino, Tom. xxxix pag. 2

PLANTÆ RARIORES

IN REGIONIBUS CHILENSIBUS

A CLARISSIMO M. D. BERTERO

NUPER DETECTÆ

ET

AB A. COLLA

IN LUCEM EDITÆ

GARDOQUIA

R. et P. Prodr. fl. peruv. p. 148. *Spr. syst.* n. 2059
(Didynam. gymnosp. *Spr.* Labiatae Thymeae *Bartl.*).

Genus hoc statutum a cl. Florae Peruvianae Auctoribus, *Thymo* affine sed distinctum praesertim ore calycis *nudo* nec *villis clauso*, modo constat 20 circiter stirpibus ex *Peruvia*, quarum duas tantum in regionibus Chilensibus cl. BERTERUS detexit. Altera pertinere videtur ad *G. obovatam* R. et P. uti BERTERUS ipse indicavit in Merc. Chil. n. XIV. p. 643 quamvis in schedis specimminum illam dubitationis signo notaverit; de hac mancas diagnoses habemus penes R.

et P. l. c. ac Spr. syst. II. 699. quas emendare ex speciminibus perfectissimis a BERTERO missis sufficiat. Altera culta in h. Ripul. e seminibus ab eodem communicatis, cuius quoque optime missi archetypo sine nomine specifico, novissima prorsus adparet, et ideo illustranda.

XCIX.

1. *G. obovata* R. et P. fl. peruv. Prodr. p. 148. Spr. syst. II. p. 699. n. 7. « *G.* caule fruticoso erecto striato foliisque glabris, » foliis oppositis vel fasciculato-verticillatis obovato-oblongis obtusis » integerrimis tenuissime punctatis subtus albidiusculis, pedunculis » axillaribus brevissimis oppositis sub-verticillato-cymosis, corolla » rubra calyce dimidio longiore ». Nob.

G. foliis obovatis integerrimis, pedunculis ternis R. et P. l. c.

G. foliis obovato-ellipticis integerrimis utrinque stellato-pubescentibus, floribus sub-ternis axillaribus brevissime pedunculatis. Spr. loc. cit.

Obs. Folia in plantis Berterianis sunt prorsus *glabra* nec *stellato-pubescentia* ceu indicat SPRENGELII diagnosis, equidem oculis armatis utrinque tenuissime punctata subtus praetertim ubique albidiuscula adparent, quod forsan ipsum in errorem inducere potuit, sed certe pubes ulla non extat nec de ea mentionem fecerant Florae Peruvianae Auctores. Ceterum specimina non possideo ex R. et P. At si planta BERTERII dubia est circa illorum stirpem, ex comparatione diagnosis nostrae cum plantis Ruizianis Botanicis liquebit utrum diversa et tamquam nova sit admittenda, quod ipse non audeo. Habit. *Chili* in fruticetis apricis collium *Valparaiso* ubi vern. *Oreganillo* nuncupatur.

C.

G. salviaefolia Nob. *G.* ... Berter. in sched. « *G.* caule

» fruticoso erecto tomentoso ramoso superne ramisque tetragonis,
» foliis petiolatis cordatis ovato-lanceolatis acutis dentatis, subtus
» albo-tomentosis reticulato-venosis lacunoso rugosis, supra laevius-
» culis, glabriusculis, floralibus sessilibus ovatis, spica terminali
» verticillata, verticillis remotiusculis sub-6-floris, calyce lanato,
» dentibus subulatis sub-aequalibus, corollis flavo dimidio brevio-
» ribus ». Nos. Tab. XLVIII.

Descriptio

Radix ramosa, fibrosissima, valde expansa, cortice nigricante. *Caulis* arboreus, solidus, erectus, 2-pedalis et ultra, rigidiusculus, teres, digiti minimi crassitie, versus apicem tetragonus angulis obtusiusculis, inferne rimosus, superne uti rami juniores laevis, albo tomentosus, ramosus. *Rami* oppositi sparsive, erectiusculi. *Folia* opposita, approximata se internodiis semipollicaribus duplo et ultra longiora, alia in axillis minora sub-fasciculata in ramos subinde sero prodeuntia, patentia, ovato-lanceolata, basi cordata ubique sesquipollicaria, lobis distantibus rotundatis, superius gradatim angustiora, apice acuta, margine denticulata, denticulis inaequalibus obtusis, superne viridia laeviuscula glabriuscula se hinc inde tantum albo-floccosa, subtus undique albo-tomentosa, evidenter reticulato-venosa, ceterum plana, sempervirentia. *Petioli* lineares teretes 3-4 lin. longi, albo-tomentosi. Caulem et ramos terminat *spica* fere semipedalis, simplex, erecta, tomentosa, constans 6-10 verticillis remotiusculis basi foliis 2 sessilibus ovatis sub-integerrimis suffultis, verae bracteae nullae. In singulo verticillo enascuntur ex utroque latere 2-3 pedunculi ½ lin. longi, tomentosi, 1-flori. *Calix* tubulosus, pluri-striatus, tomentosus, longitudine unguicularis, fauce nudus, limbo sub-2-labiato 5-dentato, sc. labio superiore parum productiore 2-dentato, inferiore profundius 3-dentato, ita ut, etsi dentes inaequales sint inter se, attamen calyx aequalis appareat, dentes omnes subulati. *Corolla* flava, glabra,

calyce duraduo et ultra longior, tuboloso, limbo 2-labiato, labio superiore emarginato erecto, inferiore 3-fido, lobis patentibus subaequalibus *Stamina* 4 didynama omnia perfecta, *filamentis* sub sinubus labii inferioris interlobalibus insertis, solitudine distantibus, quorum 2 faucem corollae subaequantia, 2 exserta, *antherae* 2-lobae, lobis divaricatis *Ovaria* 4 1-sperma uno ordine *Stylus* filiformis, faucem corollae sub aequans, *stigmate* tenuissime 2-fido, laciniis aequalibus. *Caryopsides* perfectae, sub-trigonae, glabrae

Obs Characteres ex fructificatione deprompti omnes probant stirpem hanc ad *Gardoquiam* pertinere, etsi corollae faux *glabra* sit nec *barbata* ceu indicat cl. KUNTH *synops. plantar.* aequin II p. 87 in diagnose generis, quae nota a R et S, Pom et Ses omittitur Herba omnino facie *Salviae* et idem forsan *Salvia blanca* ab indigenis nuncupata. Habit. cum priori

ARMERIA

W en 333 *Spr* *syst* n 1147 *Lam* *ill.* *t.* 119. *f* 1

Statices *sp.* *L*

(Pentand pentag. *L.* Plumbagineae Staticeae *Bartl.* *ord* *nat.* *p* 126.)

Armeriae genus a cl. W. creatum pro nonnullis *Statices* stirpibus inflorescentiam in capitulum involucratum exhibentibus, desiderabatur in regionibus Americanis priusquam cl BERTERUS unam et quidem novam stirpem detegisset in *Chili* secus rivos locis arenosis collinis affluentes, illam *caryofoliam* appellavit in Merc Chil. o. XII. p. 563, monens ad *A. fasciculatam* W. accedere, de qua optimam descriptionem atque iconem habemus in Vent h Cels p et t. 36 sub *Statice* At in planta Berteriana sequentes observavi characteres satis patenter demonstrantes quomodo differat a *fasciculata*.

CI.

A curvifolia. « Herbacea glaberrima, foliis linearibus planis » 1-nerviis obtusis incurvis, scapo tereti altissimo, involucri foliolis » ovato-lanceolatis obtusis capitulo duplo brevioribus, petalis cu- » neiformibus ». Nob.

Obs. Ludit inter *A. vulgarem* et *fasciculatam*, ad primam accedit foliorum magnitudine ac dispositione, sed in *curvifolia* sunt evidenter 1 *nervia*, *incurva* nec *erecta*, differt insuper scapo duplo triplove *longiore*, involucri foliolis *brevioribus* omnibus *obtusis* nec *exterioribus acutis*, petalis demum *cuneiformibus albo argenteis* non *rubellis*. *Fasciculatae* autem proximior videtur scapi altitudine, ac involucri petalorumque structura, sed differt caule *herbaceo*, non *suffruticoso*, foliis triplo angustioribus *incurvis planis obtusis*, nec *patentissimis canaliculatis acutis*.

PLANTAGO.

Linn. gen. ed. Schreb. n. 186. Spr. syst. n. 456. Lam. ill. t. 85. Plantaginis et Psylli sp. *Juss.* (Tetrandr. monog. *L.* Plantagineae *Vent. tabl.* II *p.* 269. *R. Br. Prodr. ed.* 2 *p.* 279. *Bartl. ord. nat. p.* 125.)

Inter *Plantagines* chilenses enumeratas a BERTERO in Merc. Chil. n. XVI. p. 744 et iam ab Auctoribus descriptas, binas ipse refert species sc. *Pl. hispidulam* R. et P. an *Pl. truncatam* CHAMISS., sed specimina de priore ab eodem missa dubitanter notantur in scheda, revera nonnullis notis differre mihi visa fuerunt, ut optimam distinctam stirpem constituere valeant.

CII.

1. *Pl callosa* Nob *Pl hispidula* R. et P.? Berter in sched.
» *Pl* acaulis, foliis radicalibus linearibus planis enerviis argenteo-
» pubescentibus basi in petiolum attenuatis apice nigrescenti-cal-
» losis, scapo solitario foliis duplo longiore tereti hispidulo sub
» spica flavescenti-lanato, spica cylindracea breviuscula, bracteis
» ovatis pilosis apice callosis ». Nob

Obs Differt a *Pl hispidula* R. et P. fl. peruv. I p. 51 t. 78, cui habitu affinis, praesertim *callo* evidentissimo nigro plano quo folia ac bracteae apice constanter instructae adparent, ex quo nomen specificum desumpsi, praeterea scapus in nostra stirpe *solitarius* nec saepius *binus* uti in *hispidula*, foliis *duplo* tantum non *quadruplo* longior, bracteae demum *membranaceae* nec *scariosae*. Hab *Chili Rancagua*

CIII.

2. *Pl truncata* Chamiss ? Berter in sched. Plantam Chamissonii nunquam vidi, phrasis Spr. syst. c. p. pag. 42 nimis brevis et manca ut comparationis ope asserere possim an planta a Berterio communicata, quam ipse dubitationis signo adnotavit in scheda, ad stirpem Chamiss. pertineat. Eadem autem exhibet *folia* radicalia 3-4, lanceolata, basi in petiolum attenuata, villosiuscula, sub-falcata, 1-nervia, vix pollicaria, *scapum* solitarium, hirsutum, teretem, folia paullo superantem, *spicam* cylindricam, rectam, fere semi-pollicarem, *bracteas* lanceolatas, membranaceas, villosas, *stamina* longissime exserta, antheris maximis. Hab. cum priori.

ATRIPLEX.

Linn. gen. ed. Schreb. n. 1577. *Spr. syst. n.* 3207. *Lam. ill. t.* 855 (Polyand. monoec. *L.* Chenopodeae *Bartl. ord. nat. p.* 296. Chenopodeae *DC.* β *fr. R. Br. prodr. p.* 405. Atriplices *Juss. gen. excl.* 1 sect. et Petiveria ac Galleuia 2ª sect.

Perpaucae *Chenopodeae* regiones Chilenses inhabitant, *Atriplicis* species ex Auctoribus nullae. Attamen cl. Berterus binas stirpes in Merc. Chil. haud enumeratas postmodum communicavit, alteram ex fruticetis maritimis *Quintero*, alteram ex ins. *Juan-Fernandez* in dumetis maritimis loco dicto *Goez-Island* provenientes, primae perfecta sunt specimina, manca et sine flore alterius.

CIV.

1. *A. chilense* Nob. *A. albicans* simile an n. sp.? Berter. in sched. « *A.* caule frutescente ramisque tortuosis pulverulento-cinera- » scentibus, foliis alternis petiolatis ovatis integris hastatisve obtusis, » spicis terminalibus simplicibus densissimis, valvis fructus ovatis » integerrimis sub-muricatis ». Nob. Tab. XLIX.

Descriptio

Radix deest in specimine. *Caulis* fruticosus, adscendens, teretiusculus, pedalis et ultra, pennae anserinae crassitie, vetustate rimosus, glaber, cinerascens, ramosissimus. *Rami* alterni vel sparsi, tortuosi, levissime striati, juvenes praesertim graciles ac pulverulento-cinerei. *Folia* alterna, petiolata, plerumque hastata, lobis lateralibus patentibus integris dentatisve acutiusculis, lobo medio admodum maiore integerrimo obtuso, nonnulla ovata integerrima, omnia semipoll. circiter longa, ad medium 3-4 lin. lata, potentissima,

utrinque cum petiolo uti rami iuniores pulverulento-cinerea, sub lente tenuissime lepidota, 1-nervia, avenia, plana, mollissima. *Petioli* lineares, planiusculi, versus apicem parum incrassati, fere longitudine laminae, exstipulati. Insuper in axillis 2 a 3 foliola minima ramulorum rudimenta non stipulas constituentia. *Spica* terminalis, simplex, rarissime ad basim spicula minima educta, fere sessilis, ovato-oblonga, apice acuta, vix semipollicaris, *flores* generis; glomeruli ex viridi flavescentes sub-echinulati, panici milliacei magnitudine, arctissime secus spicae rachidem approximati, unde spica densissima, perigonii fructiferi valvae ovatae integerrimae, sub lente muriculatae.

Obs. Differt ab *A. albicante* Ait. (h. Kew III p. 430), cui affine dixit Bertero, praeter patriam diversam (*C. B. S.*), variis notis, ac praesertim caule ramisque *adscendentibus tortuosis* nec *erectis*, foliis quandoque simpliciter *ovatis*, nec semper *hastatis*, apice *obtusis* non *acutis*, spicis *tenuioribus* et *densioribus*, floribus *minoribus*, valvis fructus *sub-muricatis* nec *rugosis*.

CV.

2. *A*. ? Scheda speciminis missi ab insula *Juan-Fernandez* sequentem exhibet indicationem: « *caulis frutescens* 3-4-*pedalis*, » *flores haud vidi* ». Species igitur etiam pro genere dubia. Alii characteres a specimine meo deprompti, sunt: *caulis* angulosus angulis obtusis admodum prominulis, carnosus, uti petioli ferrugineus; *folia* alterna, approximata, petiolata, ovata, 2-poll. longa, 1 lata, obtuse sinuata, nervosa, glabra, superne flavescenti-viridia inferne pallidiora, mollissima; *petioli* lineares, plani, carnosuli, laminam subaequantes.

CHENOPODIUM

Linn. gen. ed. Schreb. n. 435 *Spr. syst. n.* 1091. *Lam. ill.* 1. 181 (Pentand. digyn. *L.* Chenopodieae *Bartl. etc. ut supr. de* Atriplice).

Nonnullas *Chenopodii* stirpes satis vulgas enumerat BERTERIUS in Merc. Chil. n. XIII. p. 602. sc. *murale*, *album*, *anthelminthicum*, *ambrosioideum* et *multifidum*. At postquam insulam *Juan-Fernandes* perlustravi, alteram speciem inveni ibi loca petrosa et muros vetustos incolentem, quam nobis communicavit sub nomine *Ch. ambrosioides* cum dubitationis signo. Ad trutinam revocata, ac iterum iterumque comparata cum speciminibus *Ch. ambrosioides* quae possideo ex plantis americanis aliisque nunc in Europa imo in Pedemontio spontaneis (a), pluribus notis differre mihi constitit, atque optimam distinctamque constituere stirpem, quam ex partium omnium tenuitate *tenuem* appello.

CVI.

Ch. tenue. « Caule herbaceo erecto striato ramisque tenuissimis, » foliis lineari-lanceolatis pinnatifidis dentatis integrisve tenuibus » glabris, floribus axillaribus sessilibus 2-4-glomeratis » Nob. Tab. L.

Descriptio.

Radix deest in specimine. *Caulis* herbaceus, erectiusculus, striatus striis albidis sulco viridi, uti tota planta glaberrimus, diam. vix

---

(a) *Ch. ambrosioides* L. modo invenitur in Gallia circa *Toulon* et *Nantes* sec. DC. fl. fr. n. 2253, in *Lusitania* sec. R. et S. syst. VI. p. 263, in *Sardinia* ad muros *Mola Paulilanae* sec. Moris in sard. II. p. 93 nec non in *Pedemontio* ad vias *Mediolani* et *Vercellarum* sec. Bross. fl. ... 86.

semi-lineari, longit. pedali et ultra, ramosissimus. *Rami* oppositi sparsive, filiformes, erectiusculi. *Folia* alterna raro ad ramorum ortum opposita lineari-lanceolata, alia (caulina praesertim) pinnatifida, laciniis linearibus patentibus obtusiusculis sub-integris, alia (ramea speciatim) inaequaliter dentata, rarius integerrima, omnia patentia, in petiolum attenuatissima, plana, 1-nervia, viridia. Ex singulis foliorum axillis in ramis enascuntur 2-4 rarissime 1-vel 5 flores sessiles, sub-glomerati, ovati, tenuissimi ac *Panico miliaceo* duplo minores, virides, referentes *perigonium* 5-partitum, glabrum, pellucidum, extus oculis armatis lacunosum, *stamina* 5, *stylum* brevissimum profunde 2-fidum, *fructum* seu *utriculum* ex perigonio persistente membranaceum 1-spermum depressum more generis, *semen* minutissimum tenuissime punctatum. Tota planta suaveolet uti *Ch. ambrosioides*.

Obs Equidem *Ch. ambrosioideo*, et magis forsan (inflorescentia inspecta) *Ch. multifido* planta nostra affinis videtur, sed differt praesertim omnium partium *tenuitate*, foliisque multoties *minoribus*, ac figura inter se diversa, magis autem recedit ab *ambrosioideo* floribus *axillaribus glomeratis* nec *spicatis*

DIOSCOREA

Linn gen ed. Schreb n. 1530, *Spr syst n* 1380 *Lam ill t.* 818 (Dioec. hexand. *L.* Hexandr. trigyn Sarmentaceae *Spr*).

Amplissimum *Dioscoreae* genus 50 circiter constituens stirpes fere omnes ex utraque India, ne unam quidem ut scum speciatim e regionibus Chilensibus laudabat antequam sollertissimus Bertero illas perlustravisset, tres novissimas ab ipso repertas modo habemus, alteram in Merc. Chil. n XIII p 612 enumeratam, alias recentius lectas simulque cum illa nobis communicatas

CVII.

« *D. linearis* Nob *D*...? Berter in sched « *D* caule filiformi « laevi ramisque volubilibus, foliis alternis brevissime petiolatis li- « nearibus integerrimis glabris enerviis, racemis masculis axillaribus « terminalibusque elongatis foemineis brevibus paucifloris, capsula « glabra » Nob. Tab. LI f. 1

Descriptio.

Radix tuberoso-fibrosa, or tuber sub-orbiculatum, solidum, intus albidusculum farinosum, extus fuscum granulatum, sub-globosum duas nucis *Juglandis Regiae*, radiculis lateralibus albidis instructum, superne in centro umbilicatum. *Caulis* unicus ex tuberis umbilico enascens, gracillimus, filiformis, laevis, inferne nudus superne ramosissimus. *Rami* longissimi, filiformes, sinistrorsum volubiles, foliosi. *Folia* alterna, remota ac internodiis pollicaribus et ultra, erectiuscula, sub-sessilia vel in petiolum brevissimum attenuata, linearia, inaequalia ac longitudine a ½ ad 1 poll. latit. ab 1 ad 2 lin., acuta, integerrima, glabra, plana, enervia. *Flores* racemosi dioici. Masculi in racemis axillaribus vel terminalibus sub-simplicibus longitudine 1-2 pollic., singuli sub-sessiles parvi ac diametr vix 1 lin. *Perigon.* superum campanulato-6-partitum sub-herbaceum, laciniis lanceolatis patentiusculis. *Stam.* 6 libera basi laciniarum perigonii inserta iisque parum breviora, antheris 2-locularibus, loculis parallelis sinu longitudinali dehiscentibus. Foeminei in racemis axillaribus 3-5-floris folio vix excedentibus, singuli *perigon.* masculi sed paullo brevius, laciniis sub-conniventibus. *Rudimenta* staminum o. *Ovar.* inferum 3-loculare, seu ovaria 3 in unum concreta, ovulis 1-3 in angulo loculorum centrali adfixis, superpositis. *Styl.* 3 perigonium sub-aequantes, stigmatibus simplicibus. *Capsula* immatura compresso-3-gona glabra, suturam non

vidi nec semina examini subiicere potui, sed ex ovulorum figura compresso-alata adparent uti in ceteris huiusce generis stirpibus.

Obs. Species ab omnibus mihi cognitis distinctissima praesertim foliorum figura quae nunquam in illis *lanceata* enervia sed vel composita vel lobata aut cordata, rarn ovato-oblonga constanterque nervosa occurrunt. Hab. in pascuis arenosis maritimis loco dicto *la Villa de la mar*

CVIII.

2. *D. humilis* Berter. in sched. « *D.* caule humili erectiusculo » crassiusculo laevi, ramis divaricatis elongatis filiformibus sub-volubilibus prostratisve, foliis alternis longe petiolatis rotundato- » cordatis apice sub-retusis mucronulatis margine tenuissime serratis glabris sub-7-nerviis, racemis masculis elongatis laxifloris, » floribus foemineis axillaribus sub-solitariis pedunculis spiraliter » tortis, capsula tenuissime muricata ». Nob. Tab. LI. f. 2.

Obs. Statura ceteris humilior, tuber sub-orbiculatum vix magnitudine *Coryli Avellanae*, caulis palmaris, rami saepius prostrati, folia circiter semi-pollicaria, flores priori sed dispositi uti in diagnosi. Hab. *Valparaiso* in sylvestris collinis loco dicto *las Tablas*.

CIX.

3. *D. variifolia* Berter. in Merc. Chil. n. XIII. p. 612. « *D.* » caule laevi altissimo ramisque volubilibus, foliis alternis oppositisve petiolatis cordatis sagittatis linearibusve acutis glabris 1-7- » nerviis, racemis axillaribus, masculis compositis densifloris, foe- » mineis simplicibus laxifloris, capsula glabra ». Nob.

Obs. Desunt tubera in speciminibus aliunde perfectissimis, planta ramosissima valde volubilis, folia figura varia in iisdem individuis, nervi 1 ad 7 pro foliorum latitudine, racemi masculi amplissimi folio duplo triplove longiores, foeminei simplicissimi floribus alternis sessilibus ceterum ut in praecedentibus, capsulae maiores.

D hederaceae Miers affinem dicit Bertero l. c sed diversum affirmat, illam non vidi. Hab in sylvaticis collium *Valparaiso*

ALLIUM.

Linn gen. ed Schreb n 557 *Spr syst* n 1186 *Lam. ill* t 242 (Hexand mon *L.* Asphodeleae *Juss* Spathaceae *Spr*).

Allii genus non memorat Bertero in Merc Chil., et reapse quamquam numerosissimum, nam enim laudat stirpes circiter 175 ex R. et S syst. VII. p. 1000 et seqq , rarissimae tamen nonnullae occurrunt in regionibus chilensibus, inter hasce 3 misit memoratus Bertero ac *A Cowani* Lindl. in bot reg t 758, *A striatellum* eiusdem Auctoris in trans. hort. societ VI p. 97 et *A* sine nomine specifico quod Bertero ipse habuit pro specie nova *A. striatello* affini De hoc meo sensu distinctissima ac novissima stirpe sermonem habemus.

CX.

1 *A sub-biflorum* Nob *A a striatello diversum* Berter in sched. » *A* bulbo solitario ovato tunicis externis albidusculis, foliis radi- » calibus linearibus planis scapo teretiusculo longioribus, spatha » 2-valvi persistente 2-flora pedunculis longiore, perigonii laciniis » ovato-lanceolatis obtusiusculis striatis, genitalibus inclusis, sta- » minibus distinctis pistillo brevioribus ». Nos. Tab. LII.

Descriptio

Bulbus solitarius, ovato-oblongus, solidus, vix digiti minimi crassitie, longitudine semi-pollicari, imbricato-tunicatus, tunicis interioribus pellucidis exterioribus apicem albidusculis vel griseis secundum bulbi maturitatem, uti tota planta inodorus, inferne radiculis parcis fibrosis instructus. *Folia* omnia radicalia 3 ad 7-8 ad

summum, erectiuscula, basi vaginata vaginis oblongis scariosis sub-integerrimis, linearia, vix $^{1}/_{2}$ lin. lata longitudine fere palmari, acutiuscula, undique uti tota planta glaberrima, omnino plana, avenia. E centro bulbi vel quandoque carius ab eius latere exsurgit *scapus* erectus, teretiusculus, latitudine fabaceum, sed ipsis constanter paullo brevior, apice spathaceus. *Spatha* profunde 2-valvis ac fere aequaliter 2-partita, valvulis lineari-lanceolatis vix 1-lin. latis 3-4 longis, acutissimis, scariosis, persistentibus, 2-raro i rarissime 3-flora. *Flores* e centro spathae erecti brevi et inaequaliter pedicellati, sc. pedicelli filiformes 1-flori ab 1 ad 2 lin. long. nunquam spatham superantes. *Perigon.* campanulatum ad basin usque 6-partitum longitudine fere semi-pollicari, laciniae (*petala* quorund.) ovato-lanceolatae, sub-aequales, obtusiusculae, ex albo luteolae, vix curvatae, dorso striatae se lineis 3 fuscis longitudinaliter notatae, quarum media a basi ad apicem protrahitur, laterales vix tertiam laciniae partem excurrunt, subinde evanescunt. *Stam.* 6. *Filamenta* ima basi laciniarum inserta sub-aequalia libera $^{1}/_{2}$ lin. circiter longa atra. *Antherae* oblongae flavae, *ovarium* ovatum sub-3-gonum 3-loculare 3-valve, *stylus* filiformis staminibus paullo longior, *stigma* simplex. *Capsulam* maturam desidero in speciminibus ceterum perfectissimis.

Obs. Affinem *A. striatello* hanc stirpem dixit BERTERIUS, habito revera parum differt atque ad eandem pertinet divisionem a cl. Don in *Monographia Allii* statutam (*Ornithogaloideum*) in qua sistunt species omnes uti nostra odore alliaceo destitutae, sed statura undique valde *minori*, scapo *teretiusculo* nec *angulato*, spatha pedunculis *longiore*, ac praecipue floribus non *umbellatis* sed *binis* tantum rarius *solitariis ternisve* satis distinguitur, ex qua ultima nota, unde nomen specificum, a ceteris stirpibus etiam recedit. Hab. *Chili* in pascuis arenosis loco dicto *las Tablas* et *Peñuelas* prope *Valparaiso*.

ORNITHOGALUM

Linn. gen. ed. Screb. n. 566. *Spr. syst.* n. 1185. *Lam. ill.* t. 242. (Hexand. monog. *L.* Asphodeli *Juss. Bartl.* Spathaceae *Spr.*).

Numerosissimi *Ornithogali* generis (60 ex Spr. 80 et ultra ex R. et S. inclusa *Gagea*) perpaucae stirpes regiones Chilenses inhabitant, quam memorat Berterius in Merc. Chil. n. XVI p. 788. sub nomine *O. aequipetali* quam novam dicit sine alia indicatione, comparata cum ceteris stirpibus ab Auctoribus descriptis, non dubito reapse ab omnibus differre, uti liquet ex sequenti illustratione.

CXI

O. aequipetalum Berter. l. c. « *O.* bulbo rotundato prolifero, » foliis radicalibus parcis lineari-lanceolatis planis erectis acuminatis » scapum nudum sub-aequantibus, corymbo 4-8 floro, bracteis » scariosis ovatis acuminatis pedicello brevioribus, perigonii sub- » campanulati erecti laciniis aequalibus ovatis obtusis, filamentis » omnibus aequalibus incrassatis perigonio brevioribus stylum simplicem sub-aequantibus ». Nob. Tab. LIII.

Descriptio

Bulbus solidus, rotundatus, prolifer, tunicatus, tunicis interioribus albidis exterioribus fuscis sub-squamosis superne in vaginam 1-pollic. circiter longam foliorum basim arcte cingentem productis, radicibus fibrosis inferne instructus, magnitudine nucis *Juglandis Regiae*. *Folia radicalia* 1-2 vel 3 ad summum, supra vaginam prius amplexicaulia per ¼ pollicem circiter, subinde alterutrum libera, linearı-lanceolata, inferne 2-lin. lata hinc sensim sine sensu angustiore demum cuspidata, long. spithamaea, uti tota planta glaberrima,

erecta, integerrima, tenuissime longitudinaliter striata, plana, membranacea, molliuscula. *Scapus* intra vaginas foliorum, hinc liberus, a folio extremo divergens, erectus, inferne teretiusculus, superne compressiusculus, sub-canaliculatus, longitudine folia subaequans, terminans in corymbum 4-8 florum. *Pedicelli* 1-flori inaequales inferiores semipollicares subinde gradatim breviores, omnes lineares compressiusculi, basi bracteati. *Bracteae* 2 sub-inaequales ovatae, basi concavae utique ¼ lin. latae, longe acuminatae, scariosae, pedicellis inferioribus praesertim multoties breviores. *Perigonium* (*corolla* Auctorum) liberum, erectum, petaloideum, subcampanulatum, ad infimam usque basin 6-partitum, persistens. *Laciniae* (*petala* Auctor.) omnes aequales, ovatae, 1-lin. latae 2 longae, concavae, sub-conniventes apice patentiusculae, obtusiusculae, ex sicco albidiusculae dorso in mediam linea tenuissima viridiuscula longitudinaliter pictae. *Stamina* 6 aequalia perigonii laciniis ½, breviora iisdemque opposita. *Filamenta* sub laciniis receptaculo parvulo imposita nuda crassiuscula albida. *Antherae* terminales medio adfixae oblongae, flavae. *Ovarium* superum ovale 3-loculare multiovulatum. *Stylus* filiformis incrassatus erectus longitudine staminum. *Stigma* simplicissimum fere inconspicuum. Fructum maturum non vidi, in genere capsula obtusa trigona vel trialato-triloba 3-locularis loculis polyspermis, seminibus sub-globosis rarissime compressis nudis carnoso albuminosis, testa crustacea atra, embryone axili.

Obs. Inflorescentia magis accedere videtur ad *O. corymbosum* R. et P. fl. peruv. III. 68. t. 300, sed habitus toto coelo diversus, folia plana erecta nec ligulata canaliculata prostrata, perigonii laciniae angustiores nec undulatae. Hab. *Chili* in pascuis saxosis collium *Valparaiso* et vulgo venit sub nomine *Cebolletta*.

SISYRINCHIUM.

Linn. gen. ed. Schreb. n. 1101. Spr. syst. n. 170. Lam. ill. t. 569.
(Monad. triandr. *L.* Triand. monog. *Spr.* Irides *Juss.*
Irideae *Juss. Bartl.*).

Maxima pars huiusce pulchelli generis stirpium Americam australem, regiones Chilenses, Brasilienses ac Peruvianas speciatim inhabitat. Sex inter ipsas novissimas legit Berterius illasque sine nomine specifico mihi communicavit, at dolendum de duabus tantum archetypa perfecta accepisse; cetera ita sunt depravata ne audeam quid certi de hisce statuere; primas igitur satis sit illustrare

CXII.

1. *S. Nuno* Nob. *S. vulgo Nuno* Berter. in Sched. « *S.* caule » ancipiti folioso, foliis linearibus angustissimis planiusculis, summo » basi late vaginato supra flores valde producto, spatha terminali » sub-solitaria 3-6-flora, valvis aequalibus pedunculis filiformibus » brevioribus, perigonii segmentis ovato-lanceolatis, capsula rotundato-ovata scabra » Nob. Tab. LIV.

Descriptio.

Radix perennis fibrosa sub-carnosa, filamentis fasciculatis sub-simplicibus, crassiusculis, teretibus, diam. ¼ lin. circiter, fusca. *Caulis* strictus, anceps, tenuissime striatus, uti tota planta glaberrimus, simplicissimus, spithameus et ultra, vix ½ lin. latus, parce foliosus. *Folia* erecta, rigidiuscula, radicalia 2-3, caulina 1-2, alterna, basi vaginantia, linearia, planiuscula, leviter striata, acuminata, caulem sub-aequantia aeque parum angustiora, folium supremum basi late vaginatum, vagina haec spicem caulis basi sua

2-lin lata margine scariosa et quandoque ipsius spathae partem stricte amplectitur, hinc paullulum divertitur ac gradatim angustior evadit usque dum in folium ceteris similimum flores valde superans convertatur. *Spatha* terminalis, sub-solitaria, 2-valvis, valvulis aequalibus, magnitudine et forma vaginae extremi folii, acutis, ex centro spathae exsurgunt 3-6 pedunculi filiformes, valvulis parum longiores, inaequales, rubescentes, per anthesin sub-nutantes, demum erecti, 1-flori. Singulus flos exhibet *perigonium* (*corolla* Auctor.) superum profunde 6-partitum, segmentis aequalibus ovato-lanceolatis ac 1-lin latis 2-3-longis, obtusis, superne violaceis, basim versus luteolis, lineis 5 longitudinaliter parallelis tenuissimis atro-purpureis notatis, post anthesin spiraliter convolutis persistentibus, *stamina* 3 perigonio parum breviora, *filamentis* arcte connatis circa stylum, antheris erectis approximatis 2-locularibus extrorsum dehiscentibus flavis. *Styl* 1, stigmatibus 3 subulatis vix ultra antheras productis, *capsulam* inferam, rotundato-ovatam, nigricantem, scabram, 3-locularem, 3-valvem, valvulis medio septiferis, *semina* in quoque loculo numerosa parva globosa.

Obs Stirps foliis extremi structura praesertim a ceteris distinctissima. Reperta fuit *Chile* in pascuis arenosis *Quintero* et *Valparaiso*, ubi vulgo *Nuno* appellatur, ex quo nomen meum specificum.

CXIII.

2 *S leucanthum* Nob *S floribus albis* Bertér in sched « *S* « caule teretiusculo foliosa, foliis lineari-lanceolatis, spatha terminali solitaria sub-multiflora, valvis inaequalibus altera pedunculos « sub-aequante altera 2-3-longiore cuspidata, perigonii segmentis « ovatis, capsula ovali globiuscula ». Nob.

Obs Differt a priori, cui habitu valde affine, praeter notas allatas, radicibus *tenuioribus*, caule prorsus *laevi* nec *striato*, ac floribus *albis* basi *fuscis* vix ac ne vix quidem *lineatis*. Hab in pascuis siccis collium et planitiei *Valparaiso*.

TECOPHILAEA

Berter. ined. (Triandr. monog. Irideis, praesertim Ixiis, affinis *Nob.* Gilliesiae fortasse proxima *Berter.*).

Genus novissimum humaniter a cl. Bertero Filiae Tecophilae dilectae meae dicatum, constans unica stirpe lecta in pascuis sylvaticis collium *Valparaiso*, ac nobis tam viventem (ex bulbis) quam exsiccatam abundanter communicata. Characteres genericos tradam uti mihi apparuerunt, ad descriptionem quod spectat, illam transcribam quae reperta fuit in mss. Berterianis, ac nobis in litteris a cl. et amicissimo Gilliesio communicata, iconem demum tradam in tabula aenea ab ipsa Tecophila incisam.

Charact. generici.

« *Spatha* o. *Perigon.* semi-superum tubulosum rumpens, tubo » brevi, limbo 6-partito, laciniis patentiusculis sub-aequalibus » *Appendices* 3 petaloideae ad tubi faucem appositae cum *stam.* 3 » insertae, antheris terminalibus erectis sub-conniventibus vix e » tubo exsertis basi calcaratis. *Ovar.* semi-inferum ovato-oblongum » compressiusculum 3 sulcum 3 loculare multiovulatum *Styl.* filiformis, stigmate tenuissime 2-3-fido. *Caps.* 3-locularis 3 valvis, » loculis polyspermis ». Nos

Descriptio ex Bertero.

Perianthium tubulosum, tubus angustatus brevis infra apicem germinis insertus ibique post anthesim secedens; limbus 6-partitus sub irregularis; laciniae 3 exteriores, inferior 1 et 2 laterales superiores paullo latiores obtusiusculae apice mucronulo subulato rigidiusculo terminatae; 3 interiores scilicet superior et laterales 2

inferiores paullo angustiores mucronulo destitutae, 2 istae laterales inferiores basi attenuatae ibique et ad marginem ciliolatae et ab origine convoluto-tectae ita ut superficies earum interior inferne spectet et cum laciniis infima tubi speciem simulet. Appendices 3 petaloideae lineares saturate violaceae erectae apice mucronulo albo subulato instructae ad tubi faucem insertae ad basim laciniae superioris et duarum lateralium superiorum, an revera petala[1] an potius stamina 3 abortiva? Stamina 3 ad tubi faucem inserta, appendicibus 3 supra descriptis opposita; filamenta compressa glabra, antherae 2-loculares sub-tetragonae flavae sub-incurvae basi calcare filiformi secto instructae, apice biperforatae et operculo hianti nec deciduo tectae, pollen flavum farinosum; germen semisuperum ovato-oblongum, intra tubum corollae conicum, stylus filiformis glaber longitudine fere staminum, stigma vix 3-dentatum Fructus (*capsula*) 3-locularis 3-valvis, loculis polyspermis. Semina oblonga, placentae centrali adfixa insecta, valvis medio septiferis. Radix tuberosa, fibris siccis undique vestita, radiculae uno in extremitate tuberi sed ex eiusdem peripheria. Folium exterum abortivum, vagina tantum edieta. Folium interius et solum conspicuum oblongo-lanceolatum apice acuminato-cuspidatum basi vaginans et ad marginem sub-undulatum. Pedunculus centralis folio brevior, ad apicem bracteolis 2 alternis squamae formibus vix conspicuis praeditus Flores caerulei, forma et colore e longinquo *violam odoratam* simulantes, inodori Variat flore albo et scapo rarissime bifloro sed nunquam umbellifero

CXIV.

T violaeflora Bertol « *T.* bulbo compressiusculo radiculis pe-
» riphaericis, foliis parcis anguste ensiformibus basi vaginatis apice
» acuminato-cuspidatis, scapo sub-bifloro folio interiori breviore,
» floribus conspicuis basi 2-bracteolatis » Nos. Tab LV

Obs Plantula vix palmaris a veris *Iridеis*, quibus maxime affinis, recedens *defectu* spathae, fructu *semi-infero*, et stigmatis *structura*,

a *Gilliesiaceis* Lindl., differt perigonii *forma* in *Gilliesia* evidenter duplici exteriore e bracteolis 5 sepaloideis interiore carnoso-labelliforme, staminibus *liberis* nec basi in *urceolum* connatis, stigmate *vix 3-dentato* nec *capitato-3-angulari*, scapo *sub-1-floro* nec *umbellato*. Ferson ipsis affinem esse suspicatus est Bertero et praesentia *appendicum* inter perigonium et vera stamina quae an petala vel stamina abortiva essent dubitavit. Ceterum habitu magis ad *Ixias* quam ad *Gilliesiam* accedit. Fortassis novi ordinis typus?

CYPERUS.

Linn. gen. ed. Schreb. n. 93. Spr. syst. n. 227. Lam. ill. t. 38. (Triande monog. *L.* Cyperaceae *DC. fl. fr.* III *p.* 99. *R. Br. Bartl.* Cyperoideae *Juss. gen. p.* 25. *I. S. Hil. fam.* 1 *p.* 62 *t.* 12).

Inter numerosissimas huiusce generis stirpes per orbem sparsas duas tantum enumerat cl. Bertero in Merc. Chil. n. XIII p. 610 quin ipsas determinet, addens solummodo alteram ex iis accedere ad *C. flavescentem* L. in Polemontio frequentissimam, nulla tamen specimina misit de iis, sed aliud ipse communicavit de stirpe eo-vissima sine nomine specifico in pascuis herbidis collium insulae *Juan-Fernandez* postea reperta mense aprili anni 1830. De hac sermo hic erit.

CXV.

C. Fernandezianus Nob. *C.* ... ? Berter. in sched. « *C.* foliis » linearibus striatis acutis culmo basi leviter trigono superne tere- » tiusculo glaberrimo duplo brevioribus, umbella pauci-radiata, ca- » pitulis sub-globosis polystachyis sessilibus pedunculatisve, involucro » sub-diphyllo inaequali, involucello 5-6-phyllo aequali brevissimo, » spiculis glomeratis ovato-oblongis compressiusculis, squamis lan- » ceolatis, stigm. 2-fido, nuce ovato-glabra » Nos Tab. LVI.

Descriptio.

Radix manca in specimine, non videtur tamen ex eius reliquiis nec valde stolonifera nec admodum repens. *Folia* radicalia numerosa, basi vaginantia, culmumque arcte cingentia, hinc libera, erecta, linearia, latitud. ½ lin., longitud. semipedalia et ultra, striis tenuissimis 10-12 insculpta, leviter carinato-3-quetra, carina striis triplo latiore, utique et margine scabriuscula, ceterum glaberrima, acuta imo fere cuspidata. *Culmus* foliis duplo et ultra longior, erectus, basi ad tertiam circiter partem levissime trigonus, subinde teretiusculus, uti folia sed profundius striatus, diam. ½ lin. *Umbella* terminalis 4-5-radiata, basi involucro sub-2-phyllo instructa, involucri foliola inaequalia, sc. uno vel altero umbellam subaequante vel vix superante patentiusculo, altero umbella 3-4-longiore erecto, ceterum omnia foliis simillima. *Umbellulae* capitatae subglobosae diam. semi pollicem, aliae (saepius 2) sessiles inter involucri folia, aliae (saepe 2-3) inaequaliter pedunculatae ac pedunculis a 2 lin. ad pollicem longis lineoribus obtuse 3-gonis glaberrimis excrescentibus, omnes basi involucello 5-6-phyllo instructae foliolis lanceolatis acutis brevissimis. *Spiculae* numerosissimae (40-50) inter se in capitulum arctissime glomeratae, sessiles, ovato-oblongae vix ½ lin. latae 1 et ultra longae, compressiusculae, 15-20-florae. *Squamae* minutae ovato-lanceolatae, sub-concavae, acutae, imbricatae demum laxiusculae, margine scarioso pallentes reliqua parte rufescentes ita ut spiculae variegatae adpareant, infimae nonnullae vacuae. *Stigma* tenuissime 2-fidum. *Nux* minutissima ovato-compressiuscula glabra

AGROSTIS.

Linn. gen. ed. Schreb. n. 121. Spr. syst. n. 266. Lam. ill. t. 41.
(Triandr. digyn. *L.* Gramineae omnium *Auctorum*
Gramineae Agrostideae *Bartl.*)

De *Agrostidibus* chilensibus nullam mentionem fecit Bertero in Merc. Chil. Unius tantum stirpis lectae *Chili Rancagua* sine nomine specifico et cum dubitationis signo specimen sat perfectum misit, quo attente perspecto, ad *Agrostidis* genus pertinere haud dubito, sed optimam novam speciem constituere arbitror.

CXVI.

A. umbellata Nob. « Foliis strictis linearibus culmoque striatis » scabriusculis, panicula coarctata glabra, ramis verticillatis, verticillis » umbellatis, radiis capillaribus sub-quaternis 1-floris, glumulae » valvis aequalibus acuminatis scariosis, perigonio brevissimo valvis » inaequalibus muticis, caryops. liberis ». Nob. Tab. LVII.

Descriptio.

Radix fibrosa. *Culmi* sub-caespitosi, erecti, teretiusculi, basi foliorum radicalium vaginis vestiti, leviter striati, scabriusculi, fere pedales, vix ½ lin. lati, ad paniculam usque alternatim foliosi. *Folia* more generis vaginantia, linearia, stricta et fere culmo adpressa, planiuscula, leviter striata scabriuscula, inferiora 1-lin. lata, superiora gradatim angustiora numquam tamen capillaria. E folii caulini vagina exsurgit *panicula* folio ipso duplo et ultra longior erecta ovata, paniculae huius structura constituit praecipuum stirpis characterem, statim ipsa dividitur in ramos plurimos (10-12), quorum unusquisque subdividitur in verticillos umbelliformes (3-4

usque ad extremitatem rami), rami isti sunt erecti ac fere stricti, filiformes, uti tota panicula glabri plumbeo-pellucidi, unusquisque verticillus ab uno ad alterum internodium lin. 3-4 distat et constat saepius 4 interdum 3-5 radiis seu pedicellis capillaribus strictis 2-3-lin. longis, generatim 1-floris, rarius versus apicem ramorum loco verticilli adparent nonnulli pedicelli sparsi breviores pariter 1-flori In singulo flore *glumula* (*calix* L., *gluma*, *gluma exterior*, etc. alior) 2-valvis, valvis aequalibus, lanceolatis, acuminatis, muticis, concavis, ½ lin. longis ⅓ latis, scariosis, exterius plumbeo interius albido-pellucidis, enervis, persistentibus, *perigonium* (*corolla* L., *calyx* Juss., *perianthium* R. Br., *gluma floralis* etc.) 2-valve, valvis inaequalibus, brevissimis, muticis, altera plerumque obsoleta, cito deciduis. *Caryopsis* minima, libera. *Squamulas hypogynas* quas *Agrostidi* tribuit R. Br. videre mihi datum non fuit, forsan ob earum tenuitatem. Cetera ut in genere.

BROMUS.

Linn. gen. ed. Schreb. n. 120 *Spr. syst. n.* 266. *Lam. ill. t.* 46.
(Triandr. digyn. *L.* Gramineae omnium *Auctorum*
Gramineae Bromeae *Bartl.*)

Brom species per orbem sparsae, praesertim per Europam, rarissime occurrunt in Chili. Cl. Sen. in syst. I. p. 360. n. 38. unam tantum enumerat ex Vahl. symb. II. p. 22 scilicet *Br. catharticus*, quem dubito tamen ibi adinvenerit, nam Vahl. ipse *Lima* pro patria ei tribuit, nec illam refert Bertreus in Merc. Chil. n. XIII. p. 597. ubi *Br. pratensem* tantum et *Br. mollem* L. reperisse tradit sed cultos. Unam demum speciem inveni et misit sine nomine specifico, novamque illam existimavit quin tamen in scheda aliam addiderit indicationem; hanc igitur Inventori dico et ita definio.

CXVII.

Er. Berterianus. « Erectus elatus, foliis late linearibus culmo-
» que striatis villosiusculis, panicula elongata erecta, ramis fili-
» formibus strictis inferne nudis superne ramulosis multi-spiculiferis,
» spiculis lineari-lanceolatis compressis, perigonii valvula exteriore
» 5-nervi aristam rectam sub-aequante ». Nob. Tab. LVIII.

Descriptio.

Radix fibrosa crassiuscula nec repens saltem uti ex specimine adparet. *Culmi* sub-solitarii, basi ascendentes hinc erecti, circiter 2-pedales, teretes diametro vix 1-lin., evidenter striati et fere sulcati, tenuiter villosuli, ab imo usque ad paniculae exortum foliati, internodiis palmaribus et ultra, articulis fuscis. *Folia* alterna culmo sub-aequalia, late linearia, ac lamina plana, initio 2-lin. et ultra lata subinde gradatim angustiora demum acuta et fere acuminata, longitudine spithamaea, nervoso-striata laevius tamen quam culmi, nervo medio prominulo albidinscente, undique scabriuscula villosa, ligula semi-lineari laevis eroso-truncata, vagina uti lamina striata sed villis longioribus praedita, arcte undique culmum stringens. *Panicula* prorsus erecta, ab imo ad apicem ramosa, folio extimo et fere longitudine aequali, approximata, rachis teres, ad ramos tortuosa, tactu scaberrima, rami filiformes elongati stricti, inferiores sub-verticillati superiores (supremi praesertim) sub-solitarii, inferne nudi, superne in ramulos seu pedunculos divisi, pedunculi tenuissimi et fere capillares spicula sub-longiores, spicula lineari-lanceolata, fere pollicaris si aristas comprehendas, compressa, sub-multiflora. *Glumulae* valvae (*valvae calycinae* Auctor.) 2 sub-inaequales, lanceolatae, in setulam acuminatae, flosculis sub-breviores, compresso-canaliculatae, carinatae, glabriusculae. *Perigonii* valvae (*valvae corollinae* Auctor.) 2 valde inaequales, exterior maior,

lanceolato-linearis acuminata, acumine breviter 2-fido, 2-nervis, paullo infra apicem dorso aristata, arista longitudine valvulae et saepe ultra, primo recta hinc exsiccatione intorto recurva nec tamen geniculata, interior minor vera arista caret sed, uti valvulae calycinae, in setulam terminat. *Squamulae* hypogynae (*nectarium* quorund.) quae saepius extant in stirpibus huiusce generis inter valvulam exteriorem et stamina sunt in specie nostra inconspicuae. *Stamina* et *stigmata* exsiccatione evanuerunt. *Caryopsis* parvula oblonga compressa stricta perigonio adhaerens. Durationem plantae ignoro. Reperta fuit anno 1830 in *Rancagua Chili*.

PASPALUM.

Linn. gen. ed. Schreb. n. 81. Spr. syst. n. 252. Lam. ill. t. 43.
(Triandr. digyn. *L.* Gramineae *omnium Auctorum.*
Gramineae Paniceae *Bartl.*)

Inter 80 circiter *Paspali* species ab Auctoribus enumeratas, quarum maior pars Americam incolit, nonnisi unam commemorat Berterius in Merc. Chil. n. XVI p. 741, vulgo *Chepica* dictam, cuius radices diureticae habentur, quamque idem Auctor asserit proximam esse *P. coniugato* Berg. quin alias ipse suppeditet indicationes. Specimina missa ab Auctore de hac planta reapse differre non videntur a stirpe a Bergio descripta et picta in act. Helv. VII p. 129 t. 8, et ab H. et B. nov. gen. I. p. 91. Distinctam tamen existimo aliam plantam quam legit ipse Berterius in pascuis collium ins. *Iuan Fernandez*, et misit cum hac inscriptione in sched. = *Paspalum a coniugato diversum* = Differentiae exsurgunt ex sequenti descriptione et icone.

Descriptio

Radix crassa, fibrosa, repens, stolonifera. *Culmi* sub-caespitosi

primum adscendentes subinde erecti, simplices vel parce ramosi, compressiusculi, fere usque ad apicem foliosi, crassiusculi, longitudine raro pedem non excedente, a vaginis denudati glaberrimi, levissime striati, internodiis semi-pollicaribus, ad nodos crassiores. *Folia* angusta lanceolata ac basi inter ligulam et vaginam 1-lin. et ultra lata hinc gradatim angustiora ut apice fiant acuminata, internodiis duplo longiora, erectiuscula, firma et leviter pungentia, utrinque pallide viridia, plana excepto folio externo ante expansionem convoluto, minutissime striata, scabra, insuper ciliis mollissimis raris basi glandulosis albis utrinque et margine subtus praesertim praedita, glandulae ciliorum minutissimae sub vitro pellucidae folii epidermidi adpressae, *ligula* brevissima truncata, *vaginae* internodium amplectuntur ac versus ejusdem apicem tandem dirumpunt, tunc autem interne albidiusculae externe purpurascentes, ceterum uti folia sed basi ad nodos crebrius pilosae ibique intensius coloratae. *Spicae* terminales geminae, altera sessilis altera brevipedunculata, erectae, longitudine sub-aequali semi-pollicari et ultra, *rachis* uniuscujusque spicae plana, glabra, 1-lin. lata, 5-nervis, sub-undulata, nervis marginibus albidiusculis. *Flores* unilaterales ad utramque marginem rachidis alternatim approximati; *glumula* 2-valvis membranacea 1-flora, valvulis sub-aequalibus ovato-oblongis glabris 1-nervis acutiusculis, muticis, exteriore respectu rachidis interius posita alteram planiorem amplexante. *Perigonium* 2-valve cartilagineum glumulae magnitudine, valvulis dorso compressis muticis. *Stam.* 3 inclusa. *Styl.* 2 brevissimi, *stigmata* 2 exserta penicilliformia atro-rubentia. *Squamulae* hypogynae 2 truncatae, minutissimae. *Caryops.* perigonio indurato accretae.

CXVIII.

P. Fernandezianum *x* Spicis geminis erectis, altera pedunculata altera sessili, rachide plana 5-nervi sub undulata, floribus alternatim ad utramque rachidis marginem approximatis ovato-

» oblongis glabris 1-nerviis acutiusculis, foliis anguste lanceolatis
» acuminatis vaginisque longe ciliatis, culmo humili crassiusculo
» sub-ramoso ». Nob. Tab. LIX.

Obs. Differt a *P. conjugato* Bern. praesertim spicis non reapse *conjugatis* brevioribus erectis imo *strictis* nec *horizontalibus*, rachide ampliore, floribus duplo triplove *minoribus*, *glabris* nec valva exteriore *ciliata*, foliis *angustioribus*, manifeste et *longe ciliatis*, vaginis externe purpurascentibus. Magis accedere videtur ad *P. ciliatum* Lam. sed flosculis *ovato oblongis* nec *orbiculatis* undique *glabris* nec basi *villosis* satis diversum.

ANDROPOGON

Linn. gen. ed. Schreb. n. 1566. *Spr. syst. n.* 297. *Lam. ill. t.* 840. (Polygamia monoec. *L.* Triandr. digyn. *Spr.* Gramineae *omnium Auctorum.* Gramineae Saccharinae *Bartl.*).

Andropogonis stirpes, etsi numerosae praesertim in utraque India, a regionibus Chilensibus videntur alienigenae, et reapse de illis silet Bertero in Merc. Chil. Attamen mense augusto 1830 unicam inveni speciem in pascuis saxosis praeruptis maritimis *Valparaiso* loco dicto *la Playa ancha*, cujus specimina perfectissima misi sine nomine specifico. Pulcherrimam et novissimam speciem ipsam constituere ex sequenti descriptione patebit.

Descriptio

Radix fibrosa, ad collum valde incrassata, ibique squamulis pilosis cincta. *Culmi* (in speciminibus meis) simplices, erecti, altissimi (2-3-pedales et ultra), semiteretes, basi digiti minimi crassitie hinc gradatim angustiores, glaberrimi, nudi, sulcati, internodiis inferioribus 2-pollicaribus superioribus sensim longioribus ultimo fere dodrantali, ad nodos a vagina denudatos angustiores.

Folia lineari 2-lin. inter ligulam et vaginam lata hinc gradatim paullo angustiora acuta, internodio duplo tripleve longiora, mollhuscula, striata, plana, leviter scabriuscula, inferiora villosiuscula superiora glabra interdum pilis nonnullis rarissimis longiusculis praecertim basim versus adspersa *Ligula* decomposita, laciniis filiformibus 1-lin. longis pilis duplo longioribus argenteis commixtis, *vaginae* internodium semi amplectentes, glaberrimae, uti folia striatae, basi ad culmi nodos pilis creberrimis brevibus cinctae. *Panicula* e decompositione culmi e vagina sub-inflata extimi folii exsurgens, coarctata, ovata, erecta, palmaris et ultra, violaceo-argentea, ramosissima, *rami* spicati, geminati alterni, approximati, imbricato-multiflori *Spiculae* lineari-lanceolatae, basi penicillatae, valvulis omnibus glabris *Flores* polygami Hermaphroditi sessiles, *glumula* chartacea 2-valvis, 2-flora, valvulis sub-aequalibus muticis, flosculo altero neutro 1-valvi brevissime aristato, altero perfecto 2-valvi valvulis inaequalibus exteriore minore mutica, interiore breviore arista sessili ipso triplo longiore instructa, insuper in flosculo perfecto genitalia inclusa, *stam.* 3, *styl.* 2 stigmatibus plumosis. Masculi pedicellati, *glumula* ut in hermaphroditis sed 1-flora. *Perigon* inclusum, 1 2 valve, membranaceo-hyalinum, muticum, *stam.* 3 inclusa. *Squamulas* et *caryopsidem* ob eorum tenuitatem determinare non potui.

CXIX.

A. altissimus « Panicula terminali composita coarctata ovata » erecta, ramis spicatis geminatim alternis approximatis imbricato-» multifloris, spiculis lineari-lanceolatis basi penicillatis, valvulis » omnibus glabris, arista tortili flosculis triplo longiore, culmo » crasso altissimo vaginisque glabris, ligula decomposita laciniis fi-» liformibus pilis commixtis, foliis late linearibus planis striatis » scabriusculis » Nob. Tab LX.

HYMENOPHYLLUM

Sw. act. Taur. V *p.* 418. *t.* 9 *f.* 8. *Spr. syst. n.* 3283.
Lam. ill. t. 870.
(*Inter* Filices dehiscentes *Spr. syst. n.* 3283. Polypodiaceae indusiatae
Bartl. ord. nat. p. 17)

Pulcherrimi *Hymenophylli* generis plures species occurrunt in America meridionali praesertim in Brasilia et Chili, satis apte ab Auctoribus determinatae. Quatuor insuper detegit Bertero in ins. *Iuan Fernandez*, quarum tres certe novissimae, altera ad *H. fuciforme* accedens, et forsan sola eiusdem varietas: priores specialem illustrationem merentur, circa tertiam differentias a *fuciformi* memorare sufficiat.

CXX.

1. *H. ferrugineum* Nob. *H*——? an *Trichomanes alata Sw.* sec. Bertero in sched. » *H.* undique ferrugineo-pilosum, stipite rachi» deque teretibus, frondè pinnata, pinnis alternis ovalis pinnati» sectis, segmentis 2-3-fidis simplicibusque, laciniis linearibus ob» tusis, soris terminalibus globosis » Nob. (Ad rupes et arborum radices in sylvis umbrosis montium editiorum ins. *Iuan Fernandez* Bertero).

Descriptio

Rhizoma valde repens, teres, filiforme, subtus radiculis perpendicularibus breviusculis simpliciusculis instructum, superne hinc inde sparsum globulis longe pilosis in quibus singulis latet frondis solitariae rudimentum, ubi frondes ipsae post expansionem tenuiter ferrugineo-pilosum, pilis brevioribus quam in globulis. *Frons* primum

circinato-convoluta, post expansionem erecta, lanceolata, long. fere dodrantali, inferne pollicem lata, sensim superius angustior, demum acuta, *rachis* teres, filiformis, basi ad tertiam circiter partem nuda subinde pinnata, 15-20-juga. *Pinnae* alternae, primum remotiusculae hinc gradatim approximatae demum sub-confluentes, ovatae, inferiores sub-pollicares 2-3 lin. latae superiores sensim minores, obtusiusculae, pinnati-sectae, segmenta alterna, juxta rachidem partialem sub-confluentia ita ut haec alata adpareat, 2-3-fida, raro nonnulla inferiora praesertim integra et tunc linearia obtusa uti laciniae, frondium lamina pellucide sub-diaphana vero epidermide et poris corticalibus destituta, rachide partiali in tot venas divisa quot segmenta et hae in tot venulas sub-divisae quot laciniae, venulis simplicibus ad apicem laciniarum protractis. *Fructificatio* in *soros* terminales, solitarios, venulae apici insidentes, globosos, vix *Panici miliacei* magnitudine, initio indusio paleo obtectos, *indusium* demum 2-valve longitudinaliter utroque latere dehiscens. *Capsulae* minimae columnae centrali sub-clavatae adfixae *sporas* innumeras oculis etiam armatis fere inconspicuas continentes.

Obs. Cl. Berterus dubitavit plantam hanc forsan pertinere ad *Tricomanes elatum* Sw. syn. Filic. 143, sed fructificatio bene perpensa inter *Hymenophylla* collocandam esse suadet: enimvero sori sunt *terminales* nec *marginales*, columnae centrales seu receptacula capsularum *setiformia* nec *clavata*, indusium 2-valve, nec *urceolato-campanulatum*. Ceterum haec duo genera vix distinguuntur habitu praesertim inspecto, se frondibus teneris sub-pellucidis sine epidermide et poris corticalibus, ita ut ipse cl. Sw. syst. IV. p. 7. ad sectionem specialem illa amandaverit (*Filices desciscentes*). *Cormus* etiam differt a *Trichomane elato* Sw. se rachide universali stipiteque *teretibus* nec *alatis*, pinnis *haud decurrentibus* laciniisque *obtusis* nec *acutis*, undique *ferrugineo-pilosiusculis* nec margine tantum *ciliatis*.

CXXI

2 *H semiteres* Nob. *H* . . ? Berter in sched. « *H* elatum » undique glaberrimum, stipite rachideque semiteretibus osterius » canaliculatis, fronde 2-pinnata, pinnis alternis approximatis elon- » gatis patentiusculis, pinnulis inaequaliter pinnatisectis decurren- » tibus, segmentis 2-3 fidis simplicibusque linearibus obtusis, soris » terminalibus marginalibusque ovatis ». Nob. (cum priori Berter.) Tab. LXI.

Obs. Praeter characteres supra allatos, differt insuper a praecedenti omnibus partibus valde maioribus, fronde pedali et ultra, pinnis pinnulisque late alatis ob decurrentiam laminarum secus rachides partiales, soris plerumque marginalibus inter laciniarum dentes, rarius terminalibus, capsulis magis distinctis globosis pellucidis.

CXXII.

3 *H nigricans* Nob. *H* . . . an *Trichomanes*? Berter in sched. « *H* stipite repente rachideque teretibus nigricantibus squamulosis, » fronde 2-pinnata glabra, pinnis alternis oblongis, pinnulis in- » cisis laciniisque linearibus acutiusculis margine argute serratis, » soris ovatis supra-axillaribus, indusii laevi ante dehiscentiam » acuto, capsulis sub-angulatis » Nob. (ad arborum truncos in sylvis montosis ins. *Iuan Fernandez*. Berter.) Tab. LXII.

Obs Planta parasitica ad truncos arborum valde repens, facile distinguenda nigredine stipitis et rachidis nec non praesentia squamarum, quibus undique stipes ipse, et superne rachis adspersae adparent, frondes ovato-lanceolatae fere spithamaeae, rachide inferne ad tertiam circiter partem nudae, hinc 10-15-iugae, pinnae 5-7 iugae, pinnulae parvae 1-lin. longae ½ latae irregulariter incisae, constanter serratae, serraturis argutissimis mucroniformibus, sori supra axillas laciniarum brevissime stipitati.

CXXIII.

4 *H fuciforme.* Sw syn. Filic. 148? Berter. in sched. (Ad rupes locis opacis humidisque montium ins. *Juan-Fernandez*). Planta Berteri videtur differre ab *H. fuciformi*, cujus icon non extat ut sciam, statura valde *minori* sc. 4-5 nec 8-14-pollicari, stipite rachideque universali filiformibus *teretibus* nec *alatis*, alis tantum secus rachides partiales. Sori sunt terminales ad lacinulas, ovati, apice truncati ibique mucrone ipsis longiore cito deciduo instructi.

PANICULARIA

Colla (Filices)

Elegantissimam *Filicem* misit Berterius e sylvis umbrosis humidisque montium editiorum ins. *Juan-Fernandez* cum hac indicatione: == An *Cyathea*? an potius *Anemiae* sp.? == Diligentissime, uti fas fuit, organis omnibus lentis ope examini subjectis, mihi constitit quandam affinitatem cum citatis generibus Berterii stirpem equidem habere, sed ab utraque, et a ceteris Filicibus *Osmundaceis* et *Gleicheniaceis* (*Schismatopterides* W.) quibus magis accedit, nonnullis patentibus notis differre, habitum autem omnimode proprium exhibere. De illa igitur novum genus creare deliberavi, eique nomen imponere singularem ejus fructificationem cito atque demonstrans.

Descriptio

Radix deest in specimine. Stipes seu potius caudex arborens, solidissimus, erectus, ad frondium ortum incrassatus, teretiusculus, versus apicem irregulariter ac tenuissime squamulosus ceterum prorsus laevis et glaberrimus, rufescens. Frondes alternae, 1-poll. circiter una ab altera distantes, 3-pinnatae, *rachis* communis partialesque

teretes, superne leviter canaliculatae, squamulis crebrioribus ac evidentioribus quam in caulice adspersae. Frondes istae aliae *steriles* aliae *fructificantes*, ceterum figura magnitudine et compositione fere conformes, ac ovato-oblongae lat. 3-4-pollicares long. dodrantali, patentes, superiores gradatim minores magisque approximatae erectiusculae, 15-20 iugae *Pinnae* ac *pinnulae* frondibus simillimae excepta magnitudine proportione minori. Insuper in *frondibus sterilibus* pinnulae partiales sub-sessiles, lanceolatae, planiusculae, glaberrimae, intense virides superne nitentes, pinnatisectae vel simpliciter dentatae, segmentis dentibusque obtusiusculis apice callo minimo albidiusculo instructis. In *frondibus fertilibus* pinnulae partiales lamina sunt omnino destitutae non contractae tantum sed prorsus in fructificationem immutatae, adeo ut frondes istae verum paniculam compositam racemum vitis viniferae post florem emissum simulantem seu plenam exhibeant, quae nota a ceteris Filicibus nobis cognitis plantam nostram prima facie distinguit, atque habitum reapse proprium tribuit, *pinnulae partiales* quae in fronde sterili sub-sessiles, in fertili pedunculatae evadunt et racemulum formant vel simplicem vel compositum scilicet in 2-3 pedicellos ad apicem fructificantes subdivisum. FRUCTIFICATIO, *sorus* solitarius, globosus, nudus seu indusio nullo, glaber, magnitudine *Panici miliacei*, vertice aequaliter dehiscens, post dehiscentiam truncatus, pedicello filiformi 1-lin. longo apice sub-nutante suffultus. *Capsulae* numerosae, longitipellatae, globulosae, sub-angulosae, in gyrum saepe incompletum e soro parum exsertae, apice 2-valvi dehiscentes.

Obs. Ex hisce patet quomodo genus nostrum a *Cyathea* et *Ancimia*, ad quas referendum esse dubitavit cl. BRAVERUS, reapse differat. *Cyathea* ad *Filices veras* pertinet, soros habet in fronde *sparsos* nec *solitarios*, receptaculo hemisphaerico vel clavato *insertos* nec *pedicellatos*, indusio *cinctos* nec *nudos*. *Ancimia* autem ad *Osmundaceas* spectans fructificationem equidem refert in spicas, sed hae generatim geminae sunt ex axillis foliolorum nec unquam

paniculatae nec formam frondium referunt, insuper verae *soros* non gerunt, sed capsulas sub-turbinatas sessiles longitudinaliter dehiscentes, denum omnes species *herbaceae* sunt nec *arboreae*.

Charact. essentialis genericus.

» *Panicula* frondiformis. *Sori* solitarii pedicellati globosi vertice » aequaliter dehiscentes. *Indusium* nullum. *Capsulae* longistipellatae » globulosae angulatae sub-exsertae apice 2-valvi-dehiscentes ».

Obs. Species modo unica.

CXXIV.

P. Berteri. « Stipite arboreo erecto glabriusculo, frondibus al- » ternis 3-pinnatis glabris multiiugis, rachide communi partiali- » busque squamulosis, pinnis conformibus, pinnulis sub-sessilibus » lanceolatis pinnatisectis dentatisve, segmentis dentibusque obtu- » siusculis apice albido-callosis ». Nos. Tab. LXIV.

DAVALLIA.

Sm. act. Taur. V. *p.* 414. *t.* 9. *f.* 6. *Spr. syst. n.* 3272
(*Inter* Polypodiaceas indusiatas *Bartl. ord. nat. p.* 17. *Inter* Filices veras *Spr. l. c.*)

Genus hoc, valde obscurum pro nonnullis stirpibus, rarum omnimodo est in regionibus Chilensibus; unicam certe novam invenit Bertero in sylvis densis montium editiorum ins. *Juan-Fernandez*, eamque communicavit sine nomine specifico et cum dubitationis signo circa genus. Ex sequente descriptione iudicent Botanici si reapse ad *Davalliam* sit referenda.

Descriptio.

Radix et *caudex* desunt in specimine; in scheda inscribitur *arboreus* 10-15 *pedalis*. *Frons* amplissima fere pedalis late ovata 3-pinnata. *Rachis* communis et partiales subtus laeves glabriusculae planiusculae, superne sulcatae ibique ferrugineo-pilosae et squamulosae. *Pinnae* alternae, erectiusculae, ovato-lanceolatae, glabrae, remotiusculae: se inferiores fertiles 2-poll. circiter ab una ad alteram distantes, 25-30-iugae, superiores steriles gradatim minores magisque approximatae, *pinnae partiales* alternae, patentissimae, approximatae, lineari-lanceolatae, acutae, 15-20-iugae, *pinnulae* seu foliola in frondibus sterilibus ovato-oblonga, longit. 2-lin. latit. 1, approximata, convexiuscula, repando-denticulata, sub-decurrentia, venulis simplicibus, in fertilibus remotiuscula, nec minimum decurrentia, angustiora, sinuato-lacinata, *sorus* solitarius apici venulae minusculaeque laciniae subtus adfixus, globosus, ante dehiscentiam *Panici miliacei* magnitudine, demum duplo triplove maior, longitudinaliter ex utroque latere elastice dehiscens. *Indusium* verum nullum, nisi pro illo accipias frondis laciniam contractam, quae reapse sorum basi abdacit. *Capsulae* numerosissimae stipellatae, ovatae, mitulissimae, apicu a valvi dehiscentes.

Obs. *Davalliae* genus varie ab Auctoribus definitum videas, apud W. est = *Sori punctiformes sub-terminali-marginales distincti, indusium superficiarium sub-cucullatum unoquoque puncto distinctum exterius dehiscens.* = Apud R. Br. = *Sori sub-rotundi vel in lineola verticali margini plerumque approximati, involucrum superficiarum ex apice venae unicae ortum, lateribus vel lata basi adnatum, extrorsum et verticaliter liberum.* = Apud Spr. = *Sori marginales sub-rotundi, indusia sub-cucullata extus dehiscentia.* = Ex descriptione nostra de fructificatione stirpis Berterianae patet bene esse reapse dubiam pro genere.

CXXV.

D. Berteriana « Stipite arboreo, rachide subtus laevi pla-
» musculo supra sulcato ferrugineo-pilosa, frondibus 3-pinnatis ma-
» ximis glabris, pinnis alternis ovatis multijugis, iugis patentissimis
» linearí-lanceolatis pinnulatis, pinnulis sterilibus ovato-oblongis
» approximatis repando-denticulatis sub-decurrentibus, fertilibus re-
» motiusculis sinuato-laciniatis ad sinus subtus globoso-soriferis »
Nos Tab LXV

PTERIS.

Linn. gen ed Schreb n. 1626 excl. nonnullis stirpibus
Spr syst. n 3257 Lam ill t. 869
(Filices verae *Spr* Polypodiaceae indusiatae *Bartl ord. nat. p* 17)

Pteridis generis cuius 120 stirpes modo enumerantur, inter quas media circiter pars Americam incolit, vix 3 4 ex regionibus Chilensibus describunt Auctores. Attamen BERTERIUS nonnullas invenit, quae vel novae vel saltem valde dubiae mihi visae sunt, de iis sermonem habemus

CXXVI

1 *Pt. flavescens* Nob *Pt. incisa* Thb.? videtur diversa Berter in sched (In sylvaticis et secus rivulos collium ins *Iuan Fernandez*). « *Pt.* tota flavescens glaberrima, rachide planiuscula supra canali-
» culata, frondibus late ovatis 2-pinnatis multiiugis, pinnis oppo-
» sitis lanceolatis patentibus multiiugis, pinnulis oppositis lineari-
» lanceolatis patentiusculis basi dilatatis sub-decurrentibus apice
» sub-arcuatis inferioribus basi sub-lobatis superioribus integris su-
» premo acuminato longiore, fructiferis margine revolutis ubique
» subtus soris croceis densissimis obtectis » Nos Tab LXVII.

Obs. Accedit equidem ad *Pt. incisam* Thb. pr. 171 sed meo sensu differt praesertim colore *flavescenti* nec *glaucescenti* totius plantae, pinnulis seu foliolis lineari-lanceolatis *acutis* nec *obtusis* inferioribus *lobatis* nec *integerrimis*, soris *confertissimis croceis* nec *interruptis* et *pallide cinnamomeis*.

CXXVII.

2. *Pt. microphylla* Nob. *Pt.* ...? Berter. in sched. (*Chili* ad rupes). « *Pt.* fronde 3-pinnata ovata multijuga, rachide universali » tereti longo tractu nuda nitidissima rufescente antice sulcata, » partialibus villosulo-squamulosis, pinnis alternis ovato-oblongis » erectiusculis 5-10 jugis, pinnis partialibus alternis ovato-lanceo- » latis patentiusculis, pinnulis linearibus obtusis supra glabris subtus » rufo-squamulosis inferioribus rotundato-sub-lobatis superioribus » integris, soris sub-confluentibus ». Nob.

Obs. Prima facie distinguitur rachide tenuissima lucida firma superne tantum quarta circiter parte frondosa antice sulco profundo exarata, foliolis minimis se vix 1-lin. long. ½ latis saturate viridibus opacis.

CXXVIII.

3. *Pt. triphylla* Berter. Merc. Chil. n. XVI p. 748 (*Rancagua Chili*). « *Pt.* rachide tereti glaberrima indivisa, foliolis secus ra- » chidem verticillatim sub-quaternis sessilibus lanceolatis integer- » rimis mucronatis glabris subtus pallidioribus, superioribus inter- » dum solitariis, soris confluentissimis ». Nob.

CXXIX.

4. *Pt. tenera* Kaulf. an vera? Ita in sched. speciminum Berteri ex sylvis densis montium ins. *Juan-Fernandez*. Accedit quidem ad

Pt. tenerum KAULF. frondis compositione inspecta uti patet ex diagnosi SPR. syst. IV. p. 77. n. 104 cum planta BERTERI comparata, sed videtur differre stipite rachideque *tereliuscula* nec *angulata*, rodamis *glabris* nec *ciliatis*. Ceterum laudata diagnosi tamis manca, neque vidi plantam KAULF., proinde nil certi asserere possum.

ASPLENIUM.

Sw. synops. Filic. p. 4. Spr. syst. n. 3260. Lam. ill. t. 867.
(Filices verae *Spr.* Polypodiaceae indusiatae *Bartl. ord. nat. p. 17*).

Inter innumeras *Asplenii* stirpes (152 ex SPR.) duae tantum enumerabantur in regionibus Chilensibus enascentes ac *A. trapezoides* Sw. et *magellanicum* KAULF. (SPR. syst. IV. p. 81. n. 12 et p. 88. n. 17). Tres sequentes repertae fuerunt a BERTERO quarum 2 prorsus novae videntur, altera dubia.

CXXX.

1. *A. macrosorum* Berter. in sched. (In sylvis densis montium editiorum ad arborum truncos ins. *Juan-Fernandez*). « *A.* stipite « squamoso, rachide compressiuscula sub-angulata intidissima nigra; « fronde pinnata pannuga, pinnis alternis remotiusculis brevi-pe- « tiolatis late ovato-lanceolatis acuminatis glabris basi sub-obliquis « margine inaequaliter crenatis dentatisve, soris longissimis sub- « tarris ». Nos. Tab. LXVII.

Obs. Pulcherrima stirps praesertim ob magnitudinem sororum ex qua nomen specificum a BERTERO impositum. *Rachis* pedalis et ultra, diam. vix ½ lin., lucidissima, a basi ad medium circiter nuda, *pinnae* seu foliola erctiuscula, inaequaliter alternatim disposita, petiolus teres, vix 1-lin. longus, uti rachis niger et nitidus, lamina fere palmaris, supra basim latitudine pollicaris subunde

gradatim angustior, acuminata, usque ad acumen fructifera, intense viridis subtus pallidior, venae transversales alternae circa medium 2-partitae, sorus ad medium venulae superioris dispositus, 2-3-lin. longus 1 latus, utrinque obtusus valde prominulus.

CXXXI.

2. *A. chondrophyllum* Berter. in sched. (Ad rupes maritimas loco dicto *el Panguel* et in *English bay* ins. *Iuan-Fernandez*).
« *A.* stipite squamis creberrimis longis fuscis obtecto, rachide an-
» gulato-compressiuscula sub-squamulosa, fronde pinnata sterili
» multijuga pinnis oppositis alternisve brevissime petiolatis ovato-
» oblongis obtusiusculis serratis, fertilibus alis utrinque albo-tomen-
» tosis aliis glabriusculis viridibus, sterilibus minoribus glabriusculis
» concoloribus, soris oblongis solitariis demum confluentibus. »
Nos Tab. LXVIII

Obs. Frondium fertilium pinnae discolores faciem tribuunt propriam singularem huic pulchellae stirpi, rachis fertilis fere pedalis medio tracta nuda, sterilis fere duplo minor ½ circiter nuda, pinnae longitudine pollicari, lat. circa medium 4-5 lin., steriles paulo minores, venae transversales oppositae simplicissimae, sorus ad medium venae dispositus 1 ½ lin. longus vix ½ latus prominulus, post dehiscentiam singulus sorus ita cum lateralibus confluit ut fere tota pagina inferior capsulis tecta evadat.

CXXXII.

3. *A. alatum* Humb.? Videtur diversum Berter. in sched. (In sylvis umbrosis montium editiorum ins. *Iuan-Fernandez*). Stirps valde quidem affinis *A. alato* W. sp. V. p. 320 ex Humb., sed comparata Auctoris descriptione cum planta Berteri hae aliquantulum recedunt *rachide* vix ac ne vix quidem *alata*, pinnis *alternis*, nec *oppositis* vix 3-lin. longis nec *pollicaribus* vel *longioribus*

Insuper rachis est revera apice *radicans* sed ibi parvum stipitem et plures alias rachides parvulas (5-8) stellatim dispositas 1-2-pollicares emittit, inter quas nonnullae interdum eodem modo subdividuntur; de hac nota silent Auctores circa *A. alatum*, quod numquam vidi nec scio iconem de eo praeditam fuisse, sed character iste in quibusdam stirpibus occurrens (*A. proliferum* Sw., *rhizophyllum* L. etc.) communis non est cum stirpe HUMBOLDTII; certe planta Berteriana speciem propriam constituit, quam *stellatum* appello, et ita definio.

A. stellatum « Stipite lineari squamoso, rachide lineari sub» alata nitida apice radicante itaque stellatim prolifera, frondibus » pinnatis multijugis pinnis alternis oblongis obtusiusculis brevis» sime petiolatis inciso lacinia infima sursum majori apice 2-3» dentato, soris linearibus ». Nos. Tab. LXIX.

A. alatum apud W. est « frondibus pinnatis apice *radicantibus*, » pinnis *oppositis* oblongo-lanceolatis obtusiusculis petiolatis obtuse » inaequaliter serratis basi rotundato-cuneatis sursum sub auricu» latis, rachi lineari-alata ».

ASPIDIUM.

Sw. synops. Filic. p. 3. Spr. syst. n. 3267.
(Filices verae *Spr.* Polipodiaceae indusiatae *Bartl. ord. nat. p. 17*).

Genus hocce pariter numerosissimum (spec. 163 ex SPR. incluso *Nephrodio* R. BR.), nec rarum in variis Indiarum occidentalium regionibus, perpaucas stirpes specierum in Chilensibus gignit, duas tantum enumerat SPR. sc. *A. syrmaticum* W. et *A. vestitum* Sw. (Spr. syst. IV. p. 103. n. 92, et p. 105. n. 105), quibus modo sequens addenda a BERTERO communicata nec ab ipso determinata.

CXXXIII.

1. *A. Berterianum* Nob. *A. expansum* W. videtur diversum Berter. in sched. (Ad sata et arborum radices in sylvis collium ins. *Juan-Fernandez.*) « *A.* stipite repecte rachidibusque squamu-» losis, fronde alternatim bipinnata ovata, pinnis ovato-lanceolatis » sub erectis 2 inferioribus majoribus expansis, pinnulis lanceolato-» linearibus acutis inferioribus pinnatisectis mediis dentatis supremis » integris, segmentis ovato-oblongis obtusiusculis supra glabriusculis » subtus ferrugineis inferioribus rotundato-denticulatis superioribus » integris, soris marginalibus glabratis. » Nos Tab. LXX.

Obs. Ab *A. expanso* W. sp. V. 284, ad quod dubitanter stirpem hanc retulit Berterius, differt evidenter frondium compositione quae in *A. expanso triplicato-pinnatae* asserit W., dum in planta Berterii pinnae secundariae infimae tantum *pinnatisectae* adparent hinc gradatim *integrae* fiunt, segmenta autem (*pinnulae* in planta W.) sunt *ovato-oblonga* nec *oblongo-lanceolata*, demum (quod praecipuum) sori sunt prorsus *globosi* nec *oblongi*. *Rachis* communis 2-pedalis, teres, obtuse sulcata, *pinnae* 2 inferiores remotae, expansae longit. spithamaea lat. basim versus 2 pollicari, ceterae suberectae sensim minores, *pinnulae* inferiores pollicares 3-4-lin. latae superiores sensim sine sensu minores, *segmenta* 2-lin. longa 1 lata venis transversalibus plerumque 2-furcis raro simplicibus. *Sori* paulo ante dehiscentiam *Panico miliaceo* fere duplo minores solitarii versus apicem vel in divisione venulae inserti, post dehiscentiam majores fere totam frondis paginam inferiorem tegentes nunquam tamen confluentes, *indusium* orbiculare (ergo ad verum *Aspidium* nec ad *Nephrodium* pertinens), *capsulae* densissimae.

LOMARIA

W. in mag. d. Ges. natur. Fr. Z. Berl. 1809 *p.* 106
Spr syst. n. 3245
(Filices verae *Spr* Polypodiaceae indusiatae *Bartl ord nat p* 18)

Inter 43 huiusce generis stirpes a Spr. enumeratas unam tantum ipse refert chilenses regiones inhabitantem sc. *L. chilensis* KAULF. (Spr syst. IV p 65. n 38), quam misit BERTERIUS cum dubitationis signo Sed praeter hanc tres alias ipse reperit, inter quas a certissime novam spectabilemque ideoque illustrandae, alias dubias retineo allatis tantum levibus differentiis quas cernere mihi visum fuit.

CXXXIV.

L. cycadifolia Nob *L. magellanica an diversa?* Berter in sched. (In sylvaticis collium et montium ins *Iuan-Fernandez*). « L elata, » stipite rachide costisque subtus rufo squamosis, frondibus pin- » natis late ovatis multiiugis, sterilis pinnis alternis sessilibus li- » neari lanceolatis obtusis patentibus coriaceis planis omnibus basi » aequalibus, fertilis oppositis sessilibus linearibus cuspidatis erectis » margine subtus revolutis ». Nos. Tab LXXI

Obs Differt a *L. magellanica* ex phrasi Spr syst IV p 63 n. 20, pinnis frondis sterilis *obtusis* nec *acutis*, omnibus *basi aequalibus* nec inferioribus *cordatis* superioribus *basi attenuatis*, pinnis frondis fertilis *cuspidatis*. Stirps elegantissima. *Stipes* 3-4 pedalis (ex BERTER. in sched), squamis filiformibus fere pollicaribus rufis undique obductus. *Rachis* teres tenuiter striata *Frons* sterilis pedalis et ultra *Cycam circinnalem*, fertilis longior *Cycam revolutam* simulantès, unde nomen meum specificum, utraque squamosa squamis paleaceis brevioribus et rarioribus quam in stipite, *pinnae* in fronde sterili remotiusculae, integerrimae, pollicares et ultra, 2-lio-

latae, in fertili valde approximatae, fere duplo longiores, ob marginem revolutam angustiores, apice in cuspidem 1-lin longam subarcuatam productae *Capsulae* confluentissimae paginam frondis inferiorem prorsus tegunt, *indusium* continuum marginale.

CXXXV.

2 *L. Schottii* Nob. *L. n. spec. lanceolatae proxima?* Berter. in sched. (In sylvis densis montium editiorum ins *Juan-Fernandez*).
» *L.* stipite arboreo serpente alte scandente rachideque basi squa-
» mosis, frondibus ovato-oblongis, sterili profunde pinnatisecta
» segmentis lanceolatis acutis basi dilatatis margine tenuissime ser-
» ratis glaberrimis glaucis patentissimis infimis abbreviatis semi-or-
» biculatibus, fertili pinnata pinnis linearibus elongatis acutis sub-
» falcatis inferioribus oppositis superioribus alternis supremo lon-
» gissimo erecto ». Nos Tab LXXII

Obs Accedit quidem ad *L. lanceolatam* Spr syst. IV p. 62 n 6 (*Stegania* R. Br Prodr ed. 2 p 8. n. 2), sed differt ex diagnosi horum Auctorum statura undique *maiori*, frondibus *ovato-oblongis* nec *lanceolatis*, laciniis frondis sterilis *rectis* nec *subfalcatis* margine *tenuissime serrulatis* nec *crenulato-repandis*, pinnis frondis fertilis *subfalcatis erectiusculis*, nec *patulis* *Stipes* valde squamosus squamis paleaceis oblongis rufis *Rachis* 2-pedalis basi tantum squamosa hinc laevis semiteres longo tractu nuda canaliculata, *frondes* multiiugae, in sterili segmenta media 2 pollicaria basi 2 3 lin. lata margine cartilagineo-serrulata, inferiora et superiora gradatim minora, infima semi-orbiculata per rachidem decurrentia ita ut haec adpareat ibi interrupte alata, costa media superne canaliculata, venis transversalibus parallelis simplicissimis, in fertili pinnae fere prorsus contractae, dimidio longiores quam laciniae fertilis, utrinque fuscae, *fructificatio* ut in priori Stirpem hanc dixi in honorem cl. H Schott in h Schoenbrunensi Botanices Professoris qui *Filicum genera* illustrat splendidissimo opere nitidissimis

tabulis aeneis ditato, cuius primi fasciculi summa magnanimitate ob Auctore mihi donati fuerunt (Genera Filicum Vindob. 1834).

CXXXVI.

3. *L. lanceolata* Spr.? Videtur diversa? Berter. in sched. (Ad saxa et arborum radices in sylvis collium ins. *Juan-Fernandes*). Planta habitu omnino similis *L. lanceolatae* de qua superius mentionem feci, differens tantum frondis fertilis pinnis *erectiusculis* nec *patulis*, comparatio huiusce stirpis cum praecedenti magis suadet quam longe differat nostra *L. Schottii* a *L. lanceolata*, in hac *stipes* brevis nec *arboreus* vix *squamulosus*, rachides *sempedales* tantum, *lineares*, undique *glaberrimae*, frondes *lanceolatae* circa medium vix *pollic.* latae, haec omnia praeter differentias superius allatas.

CXXXVII.

4. *L. chilensis* Kaulf. Videtur diversa? Berter. in sched. (In frutectis et sylvis collium ins. *Juan-Fernandes*). Diagnosis Spr. syst. IV. p. 65. n. 38. ex Kaulf. nimis brevis ut comparationis ope quid certi asserere possim de affinitate L. *chilensis*, quam non vidi, cum planta Berterii, observo tamen bene exhibere pinnas frondis sterilis equidem late lanceolatas sed *sub falcatas* omnesque *eamdem* directionem habentes nec *infimas deflexas*, margine *repando-dentatas* nec *apice tantum denticulatas*.

NOTHOLAENA

R. Br. Prodr. ed. 2. p. 1. Notochlaena *Spr. syst. n.* 3240.
Acrostichi et Pteridis *spec. alior.*
(Filices verae *Spr.* Polypodiaceae nudae *Bartl. ord. nat. p.* 18).

Genus hoc a celeberrimo R. Br. artificialiter omnimodo statutum fuit pro nonnullis *Pteridis* et *Acrostichi* stirpibus soros *marginales continuos* vel *interruptos*, nec *amorphos* totam frondis paginam inferiorem *tegentes* vel per ejus partem *sparsos* gerentibus. Quidquid sit circa eius valorem, certe est cl. Berterius pulchellam invenisse stirpem in rupestribus maritimis *Valparaiso* vulgo *Doradilla* appellatam, quae exhibet characteres genericos a R. Br. *Notholaenae* tributos, sed differt ab omnibus speciebus Brownianis, nec non a ceteris ad eam a cl. Spr. amandatis. Retento igitur pro eadem nomine vulgari, maxime quod plantam medicatam esse tradat Berterius in scheda, describimus et icone ipsam illustrandam opportunum duxi.

CXXXVIII.

N. Doradilla Nob. » Stipite fusco-squamoso, rachide frondibusque undique floccoso-lanatis 2-pinnatis ovato-lanceolatis multijugis, fertilibus maioribus lana rufa, sterilibus minoribus lana sulphurea, pinnis omnibus alternis lanceolato-linearibus patentiusculis apice circinnato-revolutis 7-9-jugis, pinnulis linearibus patentissimis pinnatifidis, segmentis ovato-rotundatis minimis, soris satis longe interstinctis ». Nob. Tab. LXXIII.

Descriptio.

Stipes sub-rotundus, squamis linearibus nitidis fuscis obductus pollicis crassitie, plures frondes approximatas emittens. *Rachis* teres, erecta, diam. ½ lin., undique uti ceterae partes plantae densa lana in floccos parvulos tecta; lana ista aetate fit evanida, ita ut rachis versus basim et pinnae inferiores fere glabrae evadant; est autem constanter in frondibus fertilibus, quae paulo longiores et latiores, fusco-ferruginea, in sterilibus prorsus sulphurea, quod stirpi singularem faciem tribuit. *Frondes* ovato-lanceolatae, longit. fere pedali, latit. circa medium 2-pollic., 2-pinnatae, 20-25-iugae. *Pinnae* omnes alternae, inferiores semi-poll. circiter ab una ad alteram distantes, superiores gradatim magis approximatae, lanceolato-lineares, mediae 1-poll. longae 3-lin. latae, inferiores et superiores sensim minores, patentissimae, apice circinnatim plus minus revolutae, caro (adultiores) omnino expansae (1) profundissime pinnatisectae, segmentis sub-orbiculatis diam. vix ½ lin., superne minus floccosa quam ceterae partes, ita ut laminae color viridis hinc inde appareat, margine sub-revolutis, ibique subtus soriferis. *Sori* minutissimi, sub-contigui globulosi, superne dehiscentes, *indusio* vero destituti, nisi pro illo accipias tenuissimos pilos quibus latecibus sori ipsi obducuntur, hasce fructificationis notas tribuit cl. R. Br. suo generi *Notholaenae*.

---

(1) Generatim *Filices* omnes frondes gerunt per foliationem circinnatim convolutas sed hac ratio explicantur, quod in hac specie observatur tantummodo et raro in frondibus adultioribus.

POLYPODIUM.

Sw syn Filic p 3 *Spr syst n.* 3243 *Lam. ill t.* 866 *excl. f a.*
(Filices verae *Spr*
Polypodiaceae nudae *Bartl ord nat. p* 18).

Inter *Filices* nullum forsan Linnaeanum genus maiores subit mutationes quam *Polypodium*, a quo primum diremptae fuerunt species omnes *indusiatae*, subinde inter istas, praesertim ex *indusii structura*, complurima alia genera fere omnia omnino artificialia statuerunt recentiores Botanici. Nihilominus solertissimus W., qui iam celeberrimi Sw divisiones amplexus erat, 156 *Polypodii* stirpes adhuc enumerabat, modo a Spr. ad 215 protractas; quisque igitur percipit quanta difficultas occurrat in ipsarum recta determinatione. Maxima harum stirpium pars in Indiis occidentalibus luxuriat, praesertim in regionibus Peruvianis et Brasiliensibus, inter quas plures forsan in Chilensibus etiam reperiri debent; attamen quatuor tantum speciatim ibi crescere monet Spr ac *P trilobum* Cav, *P pruinatum* Sw, *P spectabile* Kaulf et *P rugulosum* Labill. Hisce addendae sunt sequentes prorsus novae a Bertero comparatae.

CXXXIX.

1. *P alte scandens* Nob *P. tenellum* Forst.? *Videtur diversum an n. sp* Berter in sched. (Ad arborum truncos in sylvis ins. *Iuan Fernandez*) « *P* stipite alte scandente nigricante squamoso, » rachide tereti glanduloso-pilosa, frondibus late lanceolatis elon- » gatis pinnatis multiiugis, pinnis alternis sub-sessilibus approxi- » matis ovatis lanceolatis glabris obtusis serratis basi cuneato-trun- » cata superne in auriculam producta, soris globulosis ad apicem » venularum solitariis ». Nos

Obs. Caudex altissime scandens sec. Bertero in scheda, unde nomen meum specificum, non tamen radicans sed tantum truncis arctissime adhaerens, uti patet ex eorum epidermidis parte lacera quae uno latere speciminis mea tenaciter obsita apparent, teres, diam. 1-lin. *Rachis* teres diam. ½ lin. tenuissime pilis apice glanduliferis conspersa, *frondes* longit. 2-palmari latit. pollicari, 20-30-jugae, *pinnae* patentiusculae fere semipollicares 2-3 lin. latae utrinque saturate virides glabrae excepta costa media subtus uti rachis glanduloso-pilosa, venis transversalibus simplicibus raro bifurcis, *sori* minimi, *capsulae* paucae (10-20 in unoquoque acervulo), minutissimae, globosae, lucidae, longitudinaliter ex utroque latere dehiscentes. Differt a *P. tenello* Forst., cui proximum dixit Bertero, pinnis *sub-sessilibus* nec *petiolatis*, *approximatis* non *remotis*, *ovato-* non *linearı-* lanceolatis, *obtusis* nec *acuminatis*, evidenter *serratis* nec *repando-crenatis*, caudice equidem *scandente* sed neutiquam *radicante*.

CXL.

2. *P. inaequalifolium* Nob. *P. ... an nov. sp.?* Berter. in sched. (In sylvis umbrosis collium ins. *Juan-Fernandez*). « *P.* rachide
» angulosa paleo sub-squamosa, frondibus amplissimis 2-pinnatis
» multijugis, pinnis alternis remotis ovato-lanceolatis elongatis,
» dexteris inferioribus duplo triplove sinistris minoribus, superio-
» ribus sub-aequalibus, pinnulis sessilibus lineari-lanceolatis pro-
» funde pinnati-sectis, segmentis ovato-oblongis sub-falcatis basi
» valde dilatatis superne glabris subtus margineque ciliatis, soris
» globosis ad apicem venularum solitariis demum sub-confluen-
» tibus. » Nob.

Obs. Stipes deest in specimine. *Rachis* inferne inaequaliter angulosa subinde externe convexa superne canaliculata, pilis longiusculis simplicibus adspersa squamulis paucis intermixtis, *frondes* 2-pedales et ultra, latit. spithamaea, 10-15 jugae, *pinnae* patentiusculae,

inferiores ultra pollicem ab uno ad alterum distantes hinc gradatim magis approximatae, longit. spithamaea, latit. 2-pollicari, 20-30-iugae, inferiores ad dexteram rachidis constanter duplo triplove angustiores et breviores quam sinistrae, unde habitus particularis huiusce stirpis, ex quo nomen specificum desumsi; pinnulae longit. pollicari latit. 2-3-lin. segmenta 1-lin. longa ½ lata, venis tenuissimis oculis nudis fere inconspicuis, sori diam. Panici miliacei, capsulae ut in priori sed numerosissimae ita ut maturitate sori fere confluentes evadant.

CXLI.

3. *P. confluens* Nob. non R. Br., P.? Berter. in sched. (*Colcolen Chili*). « *P.* rachide lineari laevi glaberrima hinc superne » canaliculata, frondibus lineari lanceolatis pinnatis multiiugis, pinnis » oppositis erectiusculis oblongis venosis profunde pinnatisectis, » segmentis ovato oblongis obtusis sub-tomentosis, soris confluenti- » bus totam paginam inferiorem tegentibus ».

Stipes deest in specimine, *rachis* fere filiformis, nitida, rubella, medio circiter tractu nuda laevis, a primis pinnis ad apicem canaliculata; *frondes* longitudine spithamaea, latit. semipollicari, 15-20-iugae, *pinnae* longit. 4-5-lin., latit. vix 2-lin., infimae 1-poll. fere ab una ad alteram distantes, superiores gradatim magis approximatae, *segmenta* vix 1-lin. longa ½ lata, parum concava, superne viridia sub-tomentosa, infrne soris minutissimis ac confluentissimis setis tenuissimis intermixtis omnino obtecta. *P. confluens* R. Br. Prodr. ed. 2. p. 2 nunc pertinet ad genus *Niphoboli* KAULF. et a planta BERTERII habito etiam ad *fronde simplici* toto caelo differtur. An ob piliorum praesentiam inter soros stirps nostra ad laudatum KAULF. genus amandanda? Sed in hoc sori *terminales*, in nostra *sparsi* etsi confluentes. Ceterum genus illud ex diagnosi mihi prorsus artificiale videtur et forsan melius rescindendum.

CXLII.

4. *P. intermedium* Nob. *P. californicum* Kaulf? *Videtur diversum* Berter. in sched. (Ins. *Iuan-Fernandez*). « *P.* stipite squa-
» mulato, rachide tereti glaberrima superne sub-alata, frondibus
» late ovatis pinnatis 5-7-iugis, pinnis oppositis basi decurrentibus
» lanceolatis crenulatis acutis, inferioribus remotiusculis, infimis
» saepe basi exteriori auriculatis, summis confluentibus, soris sub-
» globosis solitariis inter venularum ramos anastomosantes ». Nos.
Tab. LXXIV.

Obs. Stirps speciosa, *stipes*, monente Berterio in scheda, arcte truncis arborum adhaerens paleaceo-squamulosus, squamulis crispis rubellis glabris; *rachis* duas vix 1-lineas medio fere tractu nuda, hinc ob pinnarum decurrentium anguste alata; *frondes* longit. semipedali, latit. circa medium fere dodrantali; *pinnae* patentes longit. 2-pollic., latit. 3 4-lin., utrinque glaberrimae, venis transversalibus prominulis ramosis, ramis irregulariter anastomosantibus soros *Panici miliacei* magnitudine fere dupla ambientibus, *capsulae* numerosissimae. Medium tenere videtur inter *P. californicum* Kaulf. et *elatum* L., ad primum magis accedit sororum dispositione, sed differt fronde *pinnata* potius quam *pinnatifida*, pinnis *acutis* nec *obtusis*, *crenatis* nec *argute serratis*, ad alterum rachide *sub-alata* sed in pinnis *superioribus* tantum non ad *basim stipitis* usque, ala *nuda* nec *sorifera*.

CXLIII.

5. *P. californico proximum*. Ita in scheda Berterii (Ad arborum truncos in sylvis densis collium loco dicto *las Tablas* prope *Valparaiso*). Differt a priori, cum quo habitu quadrat, frondibus 2-3 *iugis* tantum, *soris oblongis*, venulis valde *tenuioribus* oculo nudo fere invisibilibus nec tam anastomosantibus, et a *californico*

recedit iisdem notis circa *P intermedium* nostrum allatis, cuius probabilius varietas.

CXLIV.

6 *P peltatum* Cav ? an revera? Berter in sched (In arborum truncis ins. *Iuan Fernandez*). Ex brevi Cav descriptione in prael. 1801 n. 597 planta a Bertero reperta mihi non videtur diversa.

OPHIOGLOSSUM.

Linn gen. ed Schreb n. 1621 excl paucis stirpibus Spr syst. n 3218 *Lam. ill. t* 864
(Ophioglosseae *R Br Prodr ed* 1 *p* 163, *ed* 2 *p* 19. *Spr syst* IV *p* 4 *Bartl ord. nat. p.* 19. Stachyopteridearum *pars W sp.* V *p* XLV.)

Inter 12 huiusce generis stirpes per orbem sparsas nulla enumerabatur a Spr. syst IV p 22 ex regionibus chilensibus, sequentem misit Berterius a cl. Miers *O stipatum* appellatam, sed cum dubitationis signo, nulla alia addita indicatione, nisi patriae, se. pascua declivia humidiuscula *Valparaiso*. Miersii opus mihi ignotum nec ullum huiusce Auctoris in nostris Bibliothecis possidemus, ne igitur novae stirpis vobis lateant characteres, de illa descriptionem et iconem praebere censui, etsi forsan (quod ignoro) iam fuerit ab Anglicis Botanicis illustrata.

CXLV.

O stipatum Miers? a *O* rhizomate stipitiformi squamoso, spica a caulina longissime pedunculata, fronde ovata basi in petiolum a attenuata integerrima laxe reticulata a. Nob Tab. LXXV f. 1.

Descriptio.

Plantula vix pollicaris undique glaberrima *Rhizoma* stipitiforme (ex quo fortan nomen specificum), orbiculatum, diam baccae *Cerasi communis*, radicibus fibrosis squamulisque obductum, cauliculos 1-2 raro plures superne emittens. Singulus cauliculus linearis, erectus, compressiusculus, sub-diaphanus, paullo supra basim monophyllus. *Folium* seu *frons* solitaria, ovata, longit. cum petiolo vix semipollic., latit. circa medium unguicularis, integerrima, obtusa, basi in petiolum secus cauliculum brevi tractu decurrentem attenuata. *Spica* solitaria ad apicem cauliculi seu pedunculi, simplex, ovato lanceolata, longit. 2-3-lin., latit. circa medium vix 1-lin., 10-12 articulata. Fructificatio generis.

Obs. Praeter notam essentialem in rhizomate, qua Mirasii planta videtur differre a ceteris *Ophioglossi* stirpibus, paulo ipsa satis superius allatis recedit ab illis spicam *caulinam* gerentibus, magis affinis videtur nostra *O. vulgato*, sed statura undique duplo *minori*, frondeque *laxe* nec *arcte* reticulata illico distinguitur.

NOTARISIA.

Colla (Genus Lycopodineis *affine*)

Cryptogamam singularem prorsus legit Bertero ad saxa locis udis secus rivulos in montibus ins. *Juan-Fernandez*, illamque misit cum sola indicatione sequenti = *Genus Lycopodeum fortasse novum.* = Habito, herba et fructificatione maturi qua licuit diligentia perpensis, novum revera genus ipsam constituere arbitror, habens inter *Muscos* facie, *Polypodiaceas* fructificationis situ, et *Lycopodineas* fructificationis organis.

Descriptio

Stipes ad telluris superficiem repens, parvulus, nigrescens, radiculas innumeras creberrimas tenuissimas diam. $\frac{1}{3}$ capill. et sic oculis nudis fere inconspicuas emittens, e stipite exsurgunt *cauliculi* plurimi, inter se approximati, caespitem formantes, lineares, longit. pollicaris, latit. vix $\frac{1}{4}$ lin., alii erecti, alii adsurgentes vel decumbentes, saepius simplices, interdum sed rarissime basi sub ramosi, compressiusculi, leviter ac irregulariter angulati, uti tota planta glaberrimi, interdum a basi ad apicem foliosi, modo longo tractu nudi vel rudimentis foliorum (*Amphigastria?* Ecan.) fere ut in *Iungermannia* distichis adspersi. *Folia* sessilia, saepius opposita, nunc alterna, nunc sparsa, inferiora parum remotiuscula, subinde gradatim magis approximata, versus apicem cauliculi subfasciculata, lanceolato-ovata, 1 lin. vel ultra longa, $\frac{1}{4}$ lata, acuta, sub-integerrima ac denticulis argutis minutissimis lente tantum conspicuis margine leviter et creberrime incisa, plana vel (inferiora praesertim) parum undulata, pallide viridia, sub-diaphana, avenia. *Fructificatio* versus apicem cauliculorum ubi folia fasciculata adparent, sc. *capsulae* sparsae, uniformes, saepius foliorum paginae inferiori raro axillis vel etiam cauliculo adfixae, minutissimae, sub vitro brevissime stipitatae, globosae, nudae, pellucidae, 1-loculares, apice dehiscentes pulvere farinaceo repletae.

Obs. Facie accedit ad *Hepaticas foliosas* sed cauliculo vasculari nec simpliciter *cellulari*, ac *fructificatione* statim distinguitur: fructificationis *situ* quandam affinitatem habet cum *Polypodiaceis*, sed *habitu* et *sororum* defectu valde recedit; maiorem exhibet analogiam cum *Lycopodineis habitu* praesertim inspecto et capsulis *sparsis nudis solitariis*, sed differt capsulis ipsis *stipitatis* nec *sessilibus*, saepius *frondi* insidentibus, nunquam in *spicas* confertis, constanter 1-locularibus.

Genus nostrum tamquam *Muscis* affine dicavi clariss. Iosepho

De-Notaris qui eximium opus *Muscorum* in agro Mediolanensi nascentium una cum cl. D. Josepho Balsamo publici iuris fecit, quique nunc, favente sollertissime socio nostro Profess. Gene, R. Musaei Historiae Naturalis ordinationi merito praestat. Grates hic etiam ipsi reddere gaudeo pro consiliis suis in determinandis Muscis indigenis, quos in *Herbario Pedemontano* mox editurus sum.

Charact. essentialis genericus

« *Capsulae* sparsae uniformes stipitatae globosae nodae solitariae
» 1-loculares apice dehiscentes pulvere farinaceo repletae ».

Obs. Species modo unica.

CXLVI.

N. lycopodioides Nob. « Stipite caespitoso, cauliculis linearibus
» sub-erectis compressiusculis simpliciusculis glaberrimis, foliis sessilibus sub-sparsis lanceolato-ovatis acutis sub-integerrimis avenis
» superioribus sub-fasciculatis, capsulis versus apicem cauliculorum
» foliis subtus axillisve vel cauliculo insidentibus » Nos. Tab. LXXV
f. 2

Bottionea thysanotides

Tropaeolum azureum

Oxalis arenaria

Oxalis Bridgesii

anthoxylum Mayu

Cellelea spartioides

Trifolium traristatum

Tab. IV
Astragalus Bertere

Adesmia balsamica

Lathyrus berterianus

Acacia Cavenia

Kageneckia ovata

Fig I
Tab XIV
Lythrum divaricatum
Fig II
Talinum minimum

Myrtus Gudilla.

Tab. XVI
Fig. I
Talinum? diffusum
Fig. II
Cactus curvispinus?

Fig. I

Tab. XXII

Cactus horridus L.

Fig. II

Cactus Baten C.

Tab. XVIII

Escallonia thyrsoidea f.

Tab. 121

Bowlesia uncinata

Ferdinando Colla dis. e lit.

Sanicula macrorhiza

Tab. LXI
Valeriana Bertoni

Centaurea chilensis

Terrania Fernandezia.

Bidens valparadisiaca

Tab XXV
Fig 2.
Fig. 1.
Oncoseris tenifolia
Baccharis asteroides

Tab. LXV bis

Baccharis Confertifolia

Gnaphalium paniculatum.

Fig. 1. *Chaetanthera berteriana* Fig. 2 *Chabraea abbreviata*

Dunaia Yegua

Senecio linearifolius

Cagtes Feullea

Diomedea thurifera

Unxia anthemifolia

Hypochoeris Bertiri

Bellardia pusilla

Campanula Larraim

Arbutus rigida

Gonolobus obliquifolius

Gonolobus Vaguetto

Fenzolato C. Ala dis. e lit. — Lit. Agello e Dagen

Phlox unidentata

Lithospermum chilense

Tab. XLI e XLII

Fig. 2. Myosotis lunaris Fig. 1. Myosotis alba

Cynoglossum ? Borlere

Lycium chilense

Tab. XLV

Petunia viscosa

Calceolaria ferruginea

Cumenia Fernandezia

Gardoquia salviaefolia

Atriplex chilense

Tab. L

Chenopodium tenue

Drosera lunata

Tab. LII

Allium sabliflorum

Tab. LII

Tab. LIII

Sisyrinchium Nano

Ornithogalum aggregatum

Tecophilaea violaeflora

Cyperus Frivaldszkianus

Agrostis umbellata   Bromus Bertolonii

Tab. LIX.
a
Paspalum Fernandezianum

Andropogon altissimus

Hymenophyllum sumbres

Hymenophyllum fuciforme Hymenophyllum nigrescens

Tab. LVII

Panicularia Berteri

Davallia Berteroana

Tab. LXVI

Pteris flavescens

Asplenium chondrophyllum　　*Asplenium macrosorum*

Asplenium dilatatum

Aspidium Bertierianum

Tab. LXXV.

Lomaria cycadifolia

Lomaria Schella

Tab. LXXIII

Notholaena Doradilla

Polypodium intermedium